LEONIS XIII

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

Vol. XII.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA
1893



16156

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/variousntificism0012vari

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
IOSEPHO EPISCOPO SEGOVIENSI
ALIISQVE EPISCOPIS PROVINCIAE ECCLESIASTICAE
VALLISOLETANAE

SEGOVIAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Litterarum officia, quibus Nos prosequi voluistis in primis anni ineuntis exordiis gratissima Nobis extitere; praeclare enim prodebant constantiam fidei studiique vestri erga Nos non minus in adversis, quam in secundis rebus, miramque consensionem, qua huius Apostolicae Sedis studetis adserere libertatem et iura. Quum autem ex arcano Dei consilio ea sit temporum ratio ut potestas tenebrarum multa impune aggredi valeat contra Ecclesiam Dei, scienter a vobis et opportune recolitur divini Praeceptoris vox, qua discipulos suos in grave discrimen vocatos vigilare et orare iubebat. Id porro vobis maiori laudi est quod non solum ipsi id impigre praestare conemini, sed

et impense curetis ut idem peragant greges, quorum vobis est commissa custodia. Equidem non leve ex hoc solatium capimus, quippe hasce preces eo valituras confidimus ut non modo fortes in fide et invictos contra infernos hostes praestent vigiles et orantes homines, sed etiam ut Ecclesiae laboranti largiorem caelestium auxiliorum copiam concilient. Quae ut uberius affluant non ambigimus quin caelites Patronos suffragatores adhibeatis penes Deum ac praesertim heroidem virginem Theresiam, qua praestite et adiutrice insigni provincia vestra gloriatur. Sperantes itaque preces vestras cito ac benigne a Deo exauditum iri, ac meritas vobis pro exhibitis officiis agentes gratias, Apostolicam benedictionem, Nostrae dilectionis testem, vobis, Venerabiles Fratres, nec non clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Ianuarii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
PATRITIO TIT. S. SVSANNAE
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI MORAN
ARCHIEPISCOPO SYDNEYENSI
ALIISQVE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS AVSTRALIAE

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Apprime accommoda ad levamen doloris ex huius temporis miseriis percepti experti sumus studia et officia vestris explicata litteris, quas communiter ad Nos dedistis decimo kalendas decembres, quum ex congressione vestra apta se vobis obtulit scribendi occasio. Siquidem ad recreandum animum Nostrum non parum valuit cum praeclara significatio fidei et observantiae vestrae, sollicitudini iuncta quam geritis ut Nostra in tuto sit libertas et dignitas, tum laus qua effertur a vobis summi providentia Dei, quae tot inter fluctus mysticam Petri navim tuetur ac dirigit. Nec vero levi Nobis solatio fuit arcta animo-

rum coniunctio, qua vos invicem consociatos ostenditis, studium quod prae vobis fertis ut fideles iis pareant documentis quae litteris encyclicis complexi sumus de opificum conditione perscriptis, ac demum iucundum quod affertis nuncium de christianae fidei incrementis in dissitis istis regionibus, ubi exculta a vobis vinea Domini late ramos protendit suós et laetam affert fructuum optimorum copiam. Haec profecto eo conferebant ut acceptissima obvenirent Nobis officia vestra; adeoque dum debitas misericordi Deo gratias et laudes agimus, vos etiam sensibus grati animi ac merita commendatione prosequimur. Amplissima interea vobis adprecamur caelestium gratiarum auxilia et munera, quae fructuosius in dies ministerium vestrum efficiant, eorumque in auspicium Apostolicam benedictionem tibi, dilecte Fili Noster, vobisque, Venerabiles Fratres, nec non clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Ianuarii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IACOBO RADINI TEDESCHI
AB INTIMO CVBICVLO NOSTRO

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Etsi Nos minime latebat tibi lectisque viris, quibus praees, creditum fuisse munus curandi ut memoria episcopalis consecrationis Nostrae solemniter in Italia celebretur anno vertente ab eius susceptione quinquagesimo, gavisi tamen sumus perlectis litteris vestris a. d. XVIII kalendas ianuarias datis, quibus totam consilii vestri rationem enucleate et distincte vidimus explicatam. Illud enimvero Nos delectavit imprimis, quod nobilis incepti, quod estis aggressi ad huius Apostolicae Sedis ornamentum et decus, quo magis eniteant italorum fidelium filialia in eam studia et devota voluntas, patrona et auspex a vobis electa sit Virgo labis nescia humanum inficientis genus, cui ab illustri Lapurdensi fano indita appellatio. Libenter autem perspeximus, varium ac multiplex operum genus quae scite a vobis cogitata sunt, dum eo maxime spectat ut summa

detur gloria Pastori aeterno per honores habitos humilitati Nostrae, quae vicariam Eius potestatem gerit, illuc simul intendere ut multas praebeat ecclesiae pariter et civitati opportunitates et bona, unde cum alii hominum ordines, tum praesertim studiosa iuventus et operaria plebes solidas capiant utilitates et apta subsidia. Quod opus cum praeclarum sit, piorumque et cordatorum omnium commendatione dignum, studia et industriam vestram in hoc inceptum collata meritâ honestamus laude, eiusdemque participes laudis habemus omnes qui ad rem perficiendam sese vobis socios addunt praebentve adiutores. Hisce universis et singulis non secus ac tibi, dilecte fili, lectorumque virorum consilio, cui praesides, Apostolicam benedictionem, paternae caritatis testem, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Ianuarii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
PAVLO TIT. S. STEPHANI IN MONTE COELIO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI MELCHERS

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Omnibus refertas filialis amoris officiis litteras reperimus quas detulisti Nobis, datas coniunctim a catholicis ex universa Germania opificibus, quos mutua caritas et communium rationum cura in pios coetus consociavit. Nam quae hac epistola erant explicata, ea mirifice spei congruebant a Nobis conceptae, quum litteras encyclicas dedimus de opificum conditione perscriptas. Paternae scilicet sollicitudini, qua suscepimus eorum causam, plurimas amanter haberi gratias agnovimus: solatia a Nobis adhibita operantibus sequutas vidimus significationes gestientium animorum: praeceptis consiliisque Nostris ad bonum commune traditis respondit scribentium prona ad paren-

dum voluntas. Illud autem maiori Nos affecit gaudio quod iidem dilecti filii testati sint, nihil sibi antiquius esse quam ut acceptam a maioribus fidem firmiter teneant, eamque operibus nedum voce, prae se ferant; ac neminem ferme extare in operoso illo hominum genere, qui ab avita fide vel religionis officiis recesserit. Id enimvero Nos erigit ad bene sperandum fore ut alia etiam civium classis, cuius iura et officia Nostris erant definita litteris, ultro sit praestitura operariis hominibus quae necessaria ad concordiam utriusque ordinis conciliandam ostendimus. Quae spes eo laetior Nobis affulget quod ex accepta epistola intellexi-mus, eo constanter conversas esse cogitationes Augusti Principis cuius imperio Germania regitur, eoque spectare perlatas nuper leges ut saluti opificum et prosperitati consulant. Atque haec quidem omnia non modo Nobis efficiunt acceptiora scribentium studia, sed etiam praebent gratulationis causam, quippe in ista regione amplissima secundos parare videantur exitus curarum quas gessimus ut eorum, quos merces laboris alit, allevetur conditio. Tu itaque, dilecte Fili Noster, cuius ministerio ad Nos pervenere ea filiorum amantium officia, pergratum Nobis feceris si iis curaveris patefieri sensus hosce benevolentiae et gratulationis Nostrae conceptamque a Nobis spem fore ut nunquam ab eorum vita differat sancta quam profitentur fides. Nos interim Deum adprecati ut eos praesenti sustentet ope et divitiis cumulet benignitatis suae, Apostolicam benedictionem, paternae caritatis testem, tibi, dilecte Fili Noster, ac societatum opificum catholicorum,

quae in Germania sunt, sodalibus universis et singulis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Ianuarii MDCCCXCII, Pontificatus Nostris anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ANSELMO MARIAE PRIORI CARTVSIAE
MIN. GEN. ORD. CART.

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Initia atque incrementa religiosi Ordinis, cui Bruno magnus contigit auctor, minime aequum erat diutius oblitescere, manu scriptis consignata codicibus: sunt enim cognitione hominum magnopere digna. Itaque operae pretium te arbitramur fecisse, quod *Annales Ordinis Cartusiensis,* etsi nondum ad recentiorem perductos aetatem, in lucem edendos curaveris. Qua ex re confidimus non defuturum fructum illum velut domesticum, quem tibi propositum maxime profiteris, scilicet ut renovandâ patrum memoriâ solatium singuli capiatis, simulque ad imitationem incitemini recte factorum. Ne tamen putes, optimorum vim exemplorum tam restricte definitam domibus vestris fore, ut nihil inde permanare ad alios queat. Praeterea posteritati narratus Ordo vester illustrat pro-

creatricem suam ac parentem ecclesiam: itemque respondet invidis monachorum vituperatoribus, et quotquot sunt qui vel cernere recusant, vel fateri nolunt quam opima virtutum seges procul urbium strepitu adolescat, quanta salus e religiosa solitudine in ipsas defluat civitates. Quamobrem romani Pontifices, vindices religionis rerumque aequi aestimatores, non sine caussa diligere, tueri ac multis modis ornare Ordinem vestrum consuevere. Nos autem non minore vos benevolentia complectimur: perque adversa viris religiosis tempora, magisterio tuo, sodaliumque tuorum virtuti plurimum confisi, non dubitamus quin vitam omnem sic instituere perseveretis, ut digni patribus vestris habeamini. Divinorum munerum auspicem animique Nostri benevoli testem tibi, dilecte fili, cunctisque ex Ordine Cartusiano sodalibus Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx Ianuarii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

FRANCISCO PICARD

PRAEPOSITO SODALIVM AVGVSTINIANORVM AB ASSVMPTIONE

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod scribis, peregrinationem Hierosolymitanam, superiorum annorum more institutoque, te duce, proxime susceptum iri, valde gratum est. Teque, dilecte fili, et quotquot tecum ibunt, ominibus faustis ac paternae caritatis studio prosequimur, praesertim cum peregrinantium maior quam alias, futurus videatur frequentiâ et dignitate concursus. Laudabile atque opportunum id etiam censemus, quod inter sanctissima Palaestinae monumenta agere hoc anno solemnia Eucharistica decreveritis. Hinc quidem peregrinationem, expiationis religionisque caussâ, ut assolet, initam, fructuosiorem divino munere fore confidimus. Propterea, cum eius rei participes esse aliquo modo Nosmetipsi velimus, dilectum Filium Nostrum Benedictum Mariam Langénieux, S. R. E. presbyterum Cardinalem Ar-

chiepiscopum Rhemensem legavimus qui personam Nostram ad solemnia Eucharistica gerat. Tuis vero precibus obsecuti, itemque alendae augendaeque pietatis consilio adducti, iis omnibus, qui tuo ductu ad sancta Palaestinae loca proxime sunt peregrinaturi, eadem privilegia easdemque indulgentias concedimus, quas datis die VI Martii an. MDCCCLXXXII litteris largiti sumus, quasque anno superiore renovavimus, cauto tamen ut eaedem serventur conditiones. Confirmamus praeterea facultates et privilegia tibi per eas, quas diximus, litteras tamquam peregrinationis moderatori concessa, potestatemque facimus eligendi, si res postulet, sacerdotem idoneum, qui facultatibus tibi nominatim tributis usus, vicario pro te munere fungatur. Reliquum est ut respiciat benignus voluntatem vestram Deus, et destinatum pietatis opus ad commune bonum feliciter evenire sinat. Cuius divini muneris auspicem, et Nostrae benevolentiae testem, tibi quidem et universis peregrinationis sociis Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Februarii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOBILI VIRO
COMITI FRANCISCO CAPECE-GALEOTA
PRAESIDI CONSOCIATIONIS IVVENVM NEAPOLITANORVM
A SANCTO ALPHONSO APPELLATAE
NEAPOLIM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOBILIS VIR
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Comperta licet Nobis essent studia tua et societatis cui praesides in cultu Apostolicae Sedis operumque effectione quibus christiana caritas exercetur, magnopere tamen delectati sumus litteris a te et consilio tibi adsidente datis solemni die Epiphaniae Domini, in quibus ea quae superiore vicennio gesta sunt a vobis distincte ac dilucide legimus explicata. Sane ea res pietatem pariter ac diligentiam vestram commendat Nobis vehementer: quo enim tempore religionis hostes nulli parcunt labori ut ea perficiant quae moliuntur ad ecclesiae perniciem, decet quam maxime actuosam esse eorum fidem qui sese gloriantur famulari Deo. Neque vero concidere vos animis

volumus, si minora censetis spe et desiderio vestro quae a vobis acta perspicitis; non enim quae gessistis ea sunt quorum vos poenitere oporteat, neque militum suorum merita ex operum amplitudine magis quam ex impenso voluntatis studio Deus aestimat. Macti igitur estote animis et nobili quam iniistis via pergite alacriter, eo uberiores laturi fructus zeli et pietatis vestrae quo magis de vobis diffisi omnem in Deo posueritis prosperi successus fiduciam. Is vestras augeat vires, novaque vobis praebeat in dies auxilia: Ipse vestros fortunet conatus inceptisque bonis optatos det exitus. Huius interea divini favoris auspex esto vobis Apostolica benedictio quam tibi, dilecte fili, consilio iuvenum tibi adsidentium totique societati cui praesides peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IV Februarii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.

DECRETVM

QVO CONIVGIA PRAESVMPTA
NVLLA ESSE IN POSTERVM IVBETVR

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Consensus mutuus, unde matrimonia iusta nascuntur, non verbis dumtaxat, sed aliis quoque signis exterioribus patefieri ac declarari potest. Quamobrem Alexander III [1], Innocentius III [2], et Gregorius IX [3], decessores Nostri, merito decreverunt ut carnalis copula, si sponsalia de futuro certa ac valida praecessissent, cum in iudicio tum extra iudicium pro vero coniugio haberetur, nisi impedimentum canonicum obstitisset. Et in hac iuris praesumptione tantum roboris inesse voluerunt, ut firmum ipsa statueret sanciretque ius, nec probationem contrariam ullam admitteret. Deinde vero matrimonia clandestina, id est non praesente Parocho et duobus tribusve testibus

[1] Cap. *Veniens*, de Sponsal.
[2] Cap. *Tua nos*, eodem tit.
[3] Cap. *Is qui fidem*, eodem tit.

inita, quum Concilium Tridentinum [1] irrita infectaque esse iussisset, ius illud priscum, ut erat necesse, valere desiit ubicumque promulgata vel moribus usuque recepta Tridentina lex. Quibus autem illa locis non viget, in iis semper Apostolicae Sedis iudicium fuit, canones, quos indicavimus, ratos atque firmos permansisse. Sed aetatum decursu, ex conscientia et cognitione christianorum sensim effluxere. Plures enim Episcopi ex iis regionibus, in quibus matrimonia clandestina contra fas quidem inita, sed tamen valida iudicantur, haud ita pridem rogati quid populus ea de re sentire videretur, plane retulerunt, canonicam de coniugiis praesumptis disciplinam passim exolevisse desuetudine atque oblivione deletam: propterea vix aut ne vix quidem contingere ut copula inter sponsos affectu maritali nec fornicario habeatur: eamque non matrimonii legitimi usum sed fornicationis peccatum communi hominum opinione existimari: imo vix persuaderi populo posse, sponsalia de futuro per coniunctionem carnalem in matrimonium transire.

His igitur rebus et causis, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in rebus fidei Inquisitorum generalium, supra memoratos canones et alias quascumque iuris canonici ea de re dispositiones, etiam speciali mentione dignas, per hoc Decretum Nostrum abrogamus et abolemus, et pro abolitis et abrogatis, ac si nunquam prodiissent, haberi volumus.

[1] Sess. XXIV. Cap. 1 de Reform. matrim.

Simul per has litteras Nostras decernimus ac mandamus, ut deinceps illis in locis in quibus coniugia clandestina pro validis habentur, a quibusvis iudicibus ecclesiasticis, in quorum foro causas eiusmodi matrimoniales agitari et iudicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex iuris praesumptione coniugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur. Huius tamen auctoritate Decreti induci nolumus necessitatem formae Tridentinae servandae ad matrimonii validitatem ubi illa forma modo non viget.

Datum Romae apud S. Petrum die XV februarii MDCCCLXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.

LETTRE ENCYCLIQUE

A NOS VÉNÉRABLES FRÈRES LES ARCHEVÊQUES, ÉVÊQUES
AU CLERGÉ
ET A TOUS LES CATHOLIQUES DE FRANCE.

—

VÉNÉRABLES FRÈRES

TRÈS CHERS FILS

Au milieu des sollicitudes de l'Eglise universelle, bien des fois, dans le cours de Notre Pontificat, Nous nous sommes plu à témoigner de Notre affection pour la France et pour son noble peuple. Et Nous avons voulu, par une de Nos Encycliques encore présente à la mémoire de tous, dire solennellement, sur ce sujet, tout le fond de Notre âme. C'est précisément cette affection qui Nous a tenu sans cesse attentif à suivre du regard, puis à repasser en Nous-même, l'ensemble des faits, tantôt tristes, tantôt consolants, qui depuis plusieurs années se sont déroulés parmi vous.

En pénétrant à fond, à l'heure présente encore, la portée du vaste complot que certains hommes ont formé d'anéantir en France le christianisme, et l'animo-

sité qu'ils mettent à poursuivre la réalisation de leur dessein, foulant aux pieds les plus élémentaires notions de liberté et de justice pour le sentiment de la majorité de la nation, et de respect pour les droits inaliénables de l'Eglise catholique, comment ne serions-nous pas saisi d'une vive douleur? Et quand Nous voyons se révéler, l'une après l'autre, les conséquences funestes de ces coupables attaques qui conspirent à la ruine des mœurs, de la religion et même des intérêts politiques sagement compris, comment exprimer les amertumes qui Nous inondent et les appréhensions qui Nous assiègent?

D'autre part, Nous nous sentons grandement consolé, lorsque Nous voyons ce même peuple français redoubler, pour le Saint-Siège, d'affection et de zèle, à mesure qu'il le voit plus délaissé, nous devrions dire plus combattu sur la terre. A plusieurs reprises, mûs par un profond sentiment de religion et de vrai patriotisme, les représentants de toutes les classes sociales, sont accourus, de France jusqu'à Nous, heureux de subvenir aux nécessités incessantes de l'Eglise, désireux de Nous demander lumière et conseil, pour être sûrs qu'au milieu des présentes tribulations, ils ne s'écarteront en rien des enseignements du Chef des croyants. Et Nous, réciproquement, soit par écrit, soit de vive voix, Nous avons ouvertement dit à nos fils ce qu'ils avaient droit de demander à leur Père. Et loin de les porter au découragement, Nous les avons fortement exhortés à redoubler d'amour et d'efforts dans la défense de la foi catholique, en même

temps que de leur patrie: deux devoirs de premier ordre, auxquels nul homme, en cette vie, ne peut se soustraire.

Et aujourd'hui encore, Nous croyons opportun, nécessaire même, d'élever de nouveau la voix, pour exhorter plus instamment, Nous ne dirons pas seulement les catholiques, mais tous les français honnêtes et sensés, à repousser loin d'eux tout germe de dissentiments politiques, afin de consacrer uniquement leurs forces à la pacification de leur patrie. Cette pacification, tous en comprennent le prix; tous, de plus en plus, l'appellent de leurs vœux. Et Nous qui la désirons plus que personne, puisque Nous représentons sur la terre le *Dieu de la paix* [1], Nous convions, par les présentes Lettres, toutes les âmes droites, tous les cœurs généreux à Nous seconder pour la rendre stable et féconde.

Avant tout, prenons comme point de départ une vérité notoire, souscrite par tout homme de bon sens et hautement proclamée par l'histoire de tous les peuples, à savoir, que la religion, et la religion seule, peut créer le lien social; que seule elle suffit à maintenir sur de solides fondements la paix d'une nation. Quand diverses familles, sans renoncer aux droits et aux devoirs de la société domestique, s'unissent sous l'inspiration de la nature, pour se constituer membres d'une

[1] Non enim est dissensionis Deus, sed pacis (I. Cor. xiv).

autre famille plus vaste, appelée la société civile, leur but n'est pas seulement d'y trouver le moyen de pourvoir à leur bien-être matériel, mais surtout d'y puiser le bienfait de leur perfectionnement moral. Autrement la société s'élèverait peu au-dessus d'une aggrégation d'êtres sans raison, dont toute la vie est dans la satisfaction des instincts sensuels. Il y a plus; sans ce perfectionnement moral, difficilement on démontrerait que la société civile, loin de devenir pour l'homme, en tant qu'homme, un avantage, ne tournerait pas à son détriment.

Or la moralité, dans l'homme, par le fait même qu'elle doit mettre de concert tant de droits et tant de devoirs dissemblables, puisqu'elle entre comme élément dans tout acte humain, suppose nécessairement Dieu, et, avec Dieu, la religion, ce lien sacré dont le privilège est d'unir, antérieurement à tout autre lien, l'homme à Dieu. En effet, l'idée de moralité importe avant tout un ordre de dépendance à l'égard du vrai, qui est la lumière de l'esprit; à l'égard du bien, qui est la fin de la volonté: sans le vrai, sans le bien, pas de morale digne de ce nom. Et quelle est donc la vérité principale et essentielle, celle dont toute vérité dérive? c'est Dieu. Quelle est donc encore la bonté suprême, dont tout autre bien procède? c'est Dieu. Quel est enfin le créateur et le conservateur de notre raison, de notre volonté, de tout notre être, comme il est la fin de notre vie? Toujours Dieu. Puis donc que la religion est l'expression intérieure et extérieure de cette dépendance que nous devons à Dieu à titre de

justice, il s'en dégage une grave conséquence qui s'impose : Tous les citoyens sont tenus de s'allier pour maintenir dans la nation le sentiment religieux vrai, et pour le défendre au besoin, si jamais une école athée, en dépit des protestations de la nature et de l'histoire, s'efforçait de chasser Dieu de la société, sûre par là d'anéantir bientôt le sens moral au fond même de la conscience humaine. Sur ce point, entre hommes qui n'ont pas perdu la notion de l'honnête, aucune dissidence ne saurait subsister.

Dans les catholiques français, le sentiment religieux doit être encore plus profond et plus universel, puisqu'ils ont le bonheur d'appartenir à la vraie religion. Si, en effet, les croyances religieuses furent, toujours et partout, données comme base à la moralité des actions humaines et à l'existence de toute société bien ordonnée, il est évident que la Religion catholique, par le fait même qu'elle est la vraie Eglise de Jésus-Christ, possède plus que toute autre l'efficacité voulue pour bien régler la vie, dans la société comme dans l'individu. En faut-il un éclatant exemple ? La France elle-même le fournit. — A mesure qu'elle progressait dans la foi chrétienne, on la voyait monter graduellement à cette grandeur morale qu'elle atteignit, comme puissance politique et militaire. C'est qu'à la générosité naturelle de son cœur, la charité chrétienne était venue ajouter une abondante source de nouvelles énergies ; c'est que son activité merveilleuse avait rencontré, tout à la fois comme aiguillon, lumière

directive et garantie de constance, cette foi chrétienne qui, par la main de la France, traça dans les annales du genre humain des pages si glorieuses. Et encore aujourd'hui, sa foi ne continue-t-elle pas d'ajouter aux gloires passées de nouvelles gloires? On la voit, inépuisable de génie et de ressources, multiplier sur son propre sol les œuvres de charité; on l'admire partant pour les pays lointains où, par son or, par les labeurs de ses missionaires, au prix même de leur sang, elle propage d'un même coup le renom de la France et les bienfaits de la religion catholique. Renoncer à de telles gloires, aucun français, quelles que soient par ailleurs ses convictions, ne l'oserait; ce serait renier la patrie.

Or l'histoire d'un peuple révèle d'une manière incontestable, quel est l'élément générateur et conservateur de sa grandeur morale. Aussi, que cet élément vienne à lui manquer, ni la surabondance de l'or, ni la force des armes ne sauraient le sauver de la décadence morale, peut-être de la mort. Qui ne comprend maintenant que, pour tous les Français qui professent la Religion catholique, la grande sollicitude doit être d'en assurer la conservation; et cela avec d'autant plus de dévouement, qu'au milieu d'eux le christianisme devient, de la part des Sectes, l'objet d'hostilités plus implacables? Sur ce terrain, ils ne peuvent se permettre, ni indolence dans l'action, ni division de partis; l'une accuserait une lâcheté indigne du chrétien, l'autre serait la cause d'une faiblesse désastreuse.

Et ici, avant de pousser plus loin, il nous faut si-

gnaler une calomnie astucieusement répandue, pour accréditer, contre les catholiques et contre le Saint-Siège lui-même, des imputations odieuses. — On prétend que l'entente et la vigueur d'action inculquées aux catholiques pour la défense de leur foi, ont, comme secret mobile, bien moins la sauvegarde des intérêts religieux, que l'ambition de ménager à l'Eglise une *domination politique sur l'Etat.* — Vraiment, c'est vouloir ressusciter une calomnie bien ancienne, puisque son invention appartient aux premiers ennemis du christianisme. Ne fut-elle pas formulée tout d'abord contre la personne adorable du Rédempteur? Oui, on l'accusait d'agir par des visées politiques, alors qu'Il illuminait les âmes par sa prédication, et qu'Il soulageait les souffrances corporelles ou spirituelles des malheureux avec les trésors de sa divine bonté: « *Nous avons trouvé cet homme travaillant à bouleverser notre peuple, défendant de payer le tribut à César, et s'intitulant le Christ roi. Si vous lui rendez la liberté, vous n'êtes pas ami de César: Car quiconque se prétend roi, fait de l'opposition à César..... César est pour nous le seul roi*[1] ».

Ce furent ces calomnies menaçantes qui arrachèrent à Pilate la sentence de mort contre Celui qu'à plusieurs reprises il avait déclaré innocent. Et les auteurs de ces

[1] Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Caesari, et dicentem se Christum regem esse (Luc. xxiii, 2). Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris: omnis enim qui se regem facit contradicit Caesari..... Non habemus regem nisi Caesarem. (Ioan. xix, 12-15).

mensonges ou d'autres de la même force, n'omirent rien pour les propager au loin, par leurs émissaires, ainsi que S. Justin martyr le reprochait aux juifs de son temps : « *Loin de vous repentir, après que vous avez appris sa résurrection d'entre les morts, vous avez envoyé de Jérusalem des hommes habilement choisis, pour annoncer qu'une hérésie et une secte impie avait été suscitée par un certain séducteur appelé Jésus de Galilée* [1] ».

En diffamant si audacieusement le christianisme, ses ennemis savaient ce qu'ils faisaient ; leur plan était de susciter contre sa propagation un formidable adversaire, l'Empire romain. La calomnie fit son chemin; et les païens, dans leur crédulité, appelaient à l'envi les premiers chrétiens « *des êtres inutiles, des citoyens dangereux, des factieux, des ennemis de l'Empire et des Empereurs* [2] ». En vain les Apologistes du christianisme par leurs écrits; en vain les chrétiens par leur belle conduite, s'appliquèrent-t-ils à démontrer tout ce qu'avaient d'absurde et de criminel ces qualifications: on ne daignait même pas les entendre. Leur nom seul leur valait une déclaration de guerre; et les chrétiens, par le simple fait qu'ils étaient chrétiens, non pour aucune autre cause, se voyaient forcé-

[1] Tantum abest ut poenitentiam egeritis, postquam Eum a mortuis resurrexisse accepistis, ut etiam . . . . eximiis delectis viris, in omnem terrarum orbem eos miseritis, qui renunciarent haeresim et sectam quamdam impiam et iniquam excitatam esse a Iesu quodam galilaeo seductore (*Dialog. cum Tryphone*).

[2] Tertull. *In Apolog.*; — Minutius Felix, *in Octavio.*

ment placés dans cette alternative : Ou l'apostasie, ou le martyre. — Les mêmes griefs et les mêmes rigueurs se renouvelèrent plus ou moins dans les siècles suivants, chaque fois que se rencontrèrent des gouvernements déraisonnablement jaloux de leur pouvoir, et animés contre l'Eglise d'intentions malveillantes. Toujours ils surent mettre en avant, devant le public, le prétexte des prétendus envahissements de l'Eglise sur l'Etat, pour fournir à l'Etat des apparences de droit, dans ses empiètements et ses violences envers la Religion catholique.

Nous avons tenu à rappeler en quelques traits ce passé, pour que les catholiques ne se déconcertent pas du présent. La lutte, en substance, est toujours la même : toujours Jésus-Christ mis en butte aux contradictions du monde ; toujours mêmes moyens mis en œuvre par les ennemis modernes du christianisme, moyens très vieux au fond, modifiés à peine dans la forme ; mais toujours aussi mêmes moyens de défense clairement indiqués aux chrétiens des temps présents par nos Apologistes, nos Docteurs, nos Martyrs. Ce qu'ils ont fait, il nous incombe de le faire à notre tour. Mettons donc au dessus de tout la gloire de Dieu et de son Eglise ; travaillons pour elle avec une application constante et effective ; et laissons le soin du succès à Jésus-Christ qui nous dit : « *Dans le monde, vous serez opprimés ; mais ayez confiance, j'ai vaincu le monde* [1] ».

[1] In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum. (Ioan. xvi, 33).

Pour aboutir là, Nous l'avons déjà remarqué, une grande union est nécessaire, et si l'on veut y parvenir, il est indispensable de mettre de côté toute préoccupation capable d'en amoindrir la force et l'efficacité. — Ici, Nous entendons principalement faire allusion aux divergences politiques des Français, sur la conduite à tenir envers la République actuelle: question que Nous désirons traiter avec la clarté réclamée par la gravité du sujet, en partant des principes et en descendant aux conséquences pratiques.

Divers Gouvernements politiques se sont succédés en France dans le cours de ce siècle, et chacun avec sa forme distinctive: Empires, Monarchies, Républiques. En se renfermant dans les abstractions, on arriverait à définir quelle est la meilleure de ces formes, considérées en elles-mêmes; on peut affirmer également en toute vérité que chacune d'elles est bonne, pourvu qu'elle sache marcher droit à sa fin, c'est à dire, le bien commun, pour lequel l'autorité sociale est constituée; il convient d'ajouter finalement, qu'à un point de vue relatif, telle ou telle forme de gouvernement peut être préférable, comme s'adaptant mieux au caractère et aux mœurs de telle ou telle nation. Dans cet ordre d'idées spéculatif, les catholiques, comme tout citoyen, ont pleine liberté de préférer une forme de gouvernement à l'autre, précisément en vertu de ce qu'aucune de ces formes sociales ne s'oppose, par elle-même, aux données de la saine raison, ni aux maximes de la doctrine chrétienne. Et c'en est assez

pour justifier pleinement la sagesse de l'Eglise alors que, dans ses relations avec les pouvoirs politiques, elle fait abstraction des formes qui les différencient, pour traiter avec eux les grands intérêts religieux des peuples, sachant qu'elle a le devoir d'en prendre la tutelle, au dessus de tout autre intérêt. Nos précédentes Encycliques ont exposé déjà ces principes; il était toutefois nécessaire de les rappeler, pour le développement du sujet qui nous occupe aujourd'hui.

Que si l'on descend des abstractions sur le terrain des faits, il faut nous bien garder de renier les principes tout à l'heure établis: ils demeurent inébranlables. Seulement en s'incarnant dans les faits, ils y revêtent un caractère de contingence déterminé par le milieu où se produit leur application. Autrement dit, si chaque forme politique est bonne par elle-même et peut être appliquée au gouvernement des peuples, en fait, cependant, on ne rencontre pas chez tous les peuples le pouvoir politique sous une même forme; chacun possède la sienne propre. Cette forme nait de l'ensemble des circonstances historiques ou nationales, mais toujours humaines, qui font surgir dans une nation ses lois traditionnelles et même fondamentales ; et par celles-ci, se trouve déterminée telle forme particulière de gouvernement, telle base de transmission des pouvoirs suprêmes.

Inutile de rappeler, que tous les individus sont tenus d'accepter ces gouvernements, et de ne rien tenter pour les renverser ou pour en changer la forme. De là vient

que l'Eglise, gardienne de la plus vraie et de la plus haute notion sur la souveraineté politique, puisqu'elle la fait dériver de Dieu, a toujours réprouvé les doctrines et toujours condamné les hommes rebelles à l'autorité légitime. Et cela, dans le temps même où les dépositaires du pouvoir en abusaient contre Elle, se privant par là du plus puissant appui donné à leur autorité, et du moyen le plus efficace pour obtenir du peuple l'obéissance à leurs lois. On ne saurait trop méditer, sur ce sujet, les célèbres prescriptions, que le Prince des Apôtres, au milieu des persécutions, donnait aux premiers chrétiens: « *Honorez tout le monde: aimez la fraternité: craignez Dieu: rendez honneur au roi* [1] ». Et celles de S. Paul: « *Je vous en conjure donc avant toutes choses: ayez soin qu'il se fasse au milieu de vous des obsécrations, des oraisons, des demandes, des actions de grâces, pour tous les hommes: pour les rois, et pour tous ceux qui sont élevés en dignité, afin que nous menions une vie tranquille, en toute piété et chasteté: car cela est bon et agréable devant Dieu notre Sauveur* [2] ».

Cependant, il faut soigneusement le remarquer ici: quelle que soit la forme des pouvoirs civils dans une na-

[1] Omnes honorate; fraternitatem diligite: Deum timete: regem honorificate. (I, Petr. ii, 17).

[2] Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate: hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo (I. Timoth ii. 1. seqq.).

tion, on ne peut la considérer comme tellement définitive qu'elle doive demeurer immuable, fût-ce l'intention de ceux qui, à l'origine, l'ont déterminée. — Seule, l'Eglise de Jésus-Christ a pu conserver et conservera sûrement jusqu'à la consommation des temps, sa forme de gouvernement. Fondée par Celui qui *était*, qui *est*, et qui *sera dans les siècles* [1], elle a reçu de Lui, dès son origine, tout ce qu'il lui faut pour poursuivre sa mission divine à travers l'océan mobile des choses humaines. Et, loin d'avoir besoin de transformer sa constitution essentielle, elle n'a même pas le pouvoir de renoncer aux conditions de vraie liberté et de souveraine indépendance, dont la Providence l'a munie dans l'intérêt général des âmes. — Mais quant aux sociétés purement humaines, c'est un fait gravé cent fois dans l'histoire, que le temps, ce grand transformateur de tout ici-bas, opère dans leurs institutions politiques de profonds changements. Parfois il se borne à modifier quelque chose à la forme de gouvernement établie; d'autres fois, il va jusqu'à substituer, aux formes primitives, d'autres formes totalement différentes, sans en excepter le mode de transmission du pouvoir souverain.

Et comment viennent à se produire ces changements politiques dont Nous parlons? Ils succèdent parfois à des crises violentes, trop souvent sanglantes, au milieu desquelles les gouvernements préexistants disparaissent en fait; voilà l'anarchie qui domine; bientôt l'ordre public

[1] Iesus Christus heri, et hodie: ipse in saecula (Hebr. xiii, 8).

est bouleversé jusque dans ses fondements. Dès lors une *nécessité sociale* s'impose à la nation; elle doit sans retard pourvoir à elle-même. Comment n'aurait-elle pas le droit, et plus encore le devoir de se défendre contre un état de choses qui la trouble si profondément, et de rétablir la paix publique dans la tranquillité de l'ordre? Or cette nécessité sociale justifie la création et l'existence des nouveaux gouvernements, quelque forme qu'ils prennent; puisque, dans l'hypothèse où nous raisonnons, ces nouveaux gouvernements sont nécessairement requis par l'ordre public, tout ordre public étant impossible sans un gouvernement. Il suit de là que, dans de semblables conjonctures, toute la nouveauté se borne à la forme politique des pouvoirs civils, ou à leur mode de transmission; elle n'affecte nullement le pouvoir considéré en lui-même. Celui-ci continue d'être immuable, et digne de respect; car, envisagé dans sa nature, il est constitué et s'impose pour pourvoir au bien commun, but suprême qui donne son origine à la société humaine. En d'autres termes, dans toute hypothèse, le pouvoir civil, considéré comme tel, est de Dieu et toujours de Dieu: « *Car il n'y a point de pouvoir si ce n'est de Dieu* [1] ».

Par conséquent, lorsque les nouveaux gouvernements qui représentent cet immuable pouvoir sont constitués, les accepter n'est pas seulement permis, mais réclamé, voire même, imposé par la nécessité du bien social qui les a

[1] Non est enim potestas nisi a Deo (Rom. XIII, 1).

faits et les maintient. D'autant plus que l'insurrection attise la haine entre citoyens, provoque les guerres civiles et peut rejeter la nation dans le chaos de l'anarchie. Et ce grand devoir de respect et de dépendance persévèrera, tant que les exigences du bien commun le demanderont, puisque ce bien est, après Dieu, dans la société, la loi première et dernière.

Par là s'explique d'elle-même la sagesse de l'Eglise dans le maintien de ses relations avec les nombreux gouvernements qui se sont succédés en France, en moins d'un siècle, et jamais sans produire des secousses violentes et profondes. Une telle attitude est la plus sûre et la plus salutaire ligne de conduite pour tous les Français, dans leurs relations civiles avec la République, qui est le gouvernement actuel de leur Nation. Loin d'eux ces dissentiments politiques qui les divisent; tous leurs efforts doivent se combiner pour conserver ou relever la grandeur morale de leur patrie.

Mais une difficulté se présente: « Cette République, fait-on remarquer, est animée de sentiments si antichrétiens que les hommes honnêtes, et beaucoup plus les catholiques, ne pourraient consciencieusement l'accepter. » Voilà surtout ce qui a donné naissance aux dissentiments et les a aggravés. — On eût évité ces regrettables divergences, si l'on avait su tenir soigneusement compte de la distinction considérable qu'il y a entre *Pouvoirs constitués* et *Législation*. La législation diffère à tel point des pouvoirs politiques et de leur forme, que, sous le régime

dont la forme est la plus excellente, la législation peut être détestable; tandis qu'à l'opposé, sous le régime dont la forme est la plus imparfaite, peut se rencontrer une excellente législation. Prouver, l'histoire à la main, cette vérité, serait chose facile; mais à quoi bon? tous en sont convaincus. Et qui mieux que l'Eglise, est en mesure de le savoir, elle qui s'est efforcée d'entretenir des rapports habituels avec tous les régimes politiques? Certes, plus que toute autre puissance, elle saurait dire ce que lui ont souvent apporté de consolations ou de douleurs, les lois des divers gouvernements qui ont successivement régi les peuples, de l'Empire romain jusqu'à nous.

Si la distinction tout à l'heure établie a son importance majeure, elle a aussi sa raison manifeste: la législation est l'œuvre des hommes investis du pouvoir et qui, de fait, gouvernent la nation. D'où il résulte qu'en pratique, la qualité des lois dépend plus de la qualité de ces hommes, que de la forme du pouvoir. Ces lois seront donc bonnes ou mauvaises, selon que les législateurs auront l'esprit imbu de bons ou de mauvais principes, et se laisseront diriger, ou par la prudence politique, ou par la passion.

Qu'en France, depuis plusieurs années, divers actes importants de la législation, aient procédé de tendances hostiles à la Religion, et par conséquent aux intérêts de la Nation, c'est l'aveu de tous, malheureusement confirmé par l'évidence des faits. Nous-même, obéissant à un devoir sacré, Nous en adressâmes des plaintes vivement senties,

à celui qui était alors à la tête de la République. Ces tendances cependant persistèrent, le mal s'aggrava, et l'on ne saurait s'étonner, que les membres de l'Episcopat français, placés par l'Esprit-Saint pour régir leurs différentes et illustres Eglises, aient regardé, encore tout récemment, comme une obligation, d'exprimer publiquement leur douleur, touchant la situation créée en France à la Religion catholique. Pauvre France! Dieu seul peut mesurer l'abîme de maux où elle s'enfoncerait, si cette législation, loin de s'améliorer, s'obstinait dans une telle déviation, qui aboutirait à arracher de l'esprit et du cœur des Français la religion qui les a faits si grands.

Et voilà précisement le terrain sur lequel, tout dissentiment politique mis à part, les gens de bien doivent s'unir comme un seul homme, pour combattre, par tous les moyens légaux et honnêtes, ces abus progressifs de la législation. Le respect que l'on doit aux pouvoirs constitués ne saurait l'interdire: il ne peut importer, ni le respect, ni beaucoup moins l'obéissance sans limites à toute mesure législative quelconque, édictée par ces mêmes pouvoirs. Qu'on ne l'oublie pas, la loi est une prescription ordonnée selon la raison et promulguée, pour le bien de la communauté, par ceux qui ont reçu à cette fin le dépôt du pouvoir. — En conséquence, jamais on ne peut approuver des points de législation qui soient hostiles à la Religion et à Dieu; c'est au contraire un devoir de les réprouver. C'est ce que le grand Evêque d'Hippone, S. Augustin, mettait en parfaite lumière dans

ce raisonnement plein d'éloquence; « *Quelques fois, les puissances de la terre sont bonnes et craignent Dieu; d'autres fois, elles ne le craignent pas. Julien était un Empereur infidèle à Dieu, un apostat, un pervers, un idolâtre. Les soldats chrétiens servirent cet Empereur infidèle. Mais, dès qu'il s'agissait de la cause de Jésus-Christ, ils ne reconnaissaient que Celui qui est dans le ciel. Julien leur prescrivait-il d'honorer les idoles et de les encenser; ils mettaient Dieu au dessus du prince. Mais leur disait-il, formez vos rangs pour marcher contre telle nation ennemie; à l'instant ils obéissaient. Ils distinguaient le Maître éternel du maître temporel, et cependant, en vue du Maître éternel, ils se soumettaient même à un tel maître temporel* [1]. » Nous le savons, l'athée, par un lamentable abus de sa raison et plus encore de sa volonté, nie ces principes. Mais, en définitive, l'athéisme est une erreur si monstrueuse, qu'elle ne pourra jamais, soit dit à l'honneur de l'humanité, y anéantir la conscience des droits de Dieu pour y substituer l'idolâtrie de l'Etat.

Les principes qui doivent règler notre conduite en-

[1] Aliquando .... potestates bonae sunt, et timent Deum; aliquando non timent Deum. Iulianus extitit infidelis imperator, extitit apostata. iniquus, idolatra: milites christiani servierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad caussam Christi, non agnoscebant nisi Illum qui in caelis erat. Si quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, praeponebant illi Deum: quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem; statim obtemperabant. Distinguebant Dominum aeternum, a domino temporali; et tamen subditi erant propter Dominum aeternum, etiam domino temporali (Enarrat. in Psalm. cxxiv, n. 7, fin.).

vers Dieu et envers les gouvernements humains étant ainsi définis, aucun homme impartial ne pourra accuser les catholiques français, si, sans épargner ni fatigues ni sacrifices, ils travaillent à conserver à leur patrie ce qui est pour elle une condition de salut, ce qui résume tant de traditions glorieuses enregistrées par l'histoire, et que tout Français a le devoir de ne pas oublier.

Avant de terminer notre Lettre, Nous voulons toucher à deux autres points connexes entre eux, et qui, se rattachant de plus près aux intérêts religieux, ont pu susciter parmi les catholiques quelque division. — L'un d'eux est le *Concordat* qui, pendant tant d'années, a facilité en France, l'harmonie entre le gouvernement de l'Eglise et celui de l'Etat. Sur le maintien de ce Pacte solennel et bilatéral, toujours fidèlement observé de la part du Saint-Siège, les adversaires de la Religion catholique eux-mêmes ne s'accordent pas. — Les plus violents voudraient son abolition, pour laisser à l'Etat toute liberté de molester l'Eglise de Jésus-Christ. — D'autres, au contraire, avec plus d'astuce, veulent, ou du moins assurent vouloir la conservation du Concordat: non pas qu'ils reconnaissent à l'Etat le devoir de remplir envers l'Eglise les engagements souscrits, mais uniquement pour le faire bénéficier des concessions faites par l'Eglise; comme si l'on pouvait à son gré séparer les engagements pris des concessions obtenues, alors que ces deux choses font partie substantielle d'un seul tout. Pour eux, le Concordat ne resterait

donc que comme une chaîne propre à entraver la liberté de l'Eglise, cette liberté sainte à laquelle elle a un droit divin et inaliénable. De ces deux opinions, laquelle prévaudra? Nous l'ignorons. Nous avons voulu seulement les rappeler, pour recommander aux catholiques de ne pas provoquer de scission sur un sujet, dont il appartient au Saint-Siège de s'occuper.

Nous ne tiendrons pas le même langage sur l'autre point, concernant le principe de la séparation de l'Etat et de l'Eglise, ce qui équivaut à séparer la législation humaine de la législation chrétienne et divine. Nous ne voulons pas nous arrêter à démontrer ici tout ce qu'a d'absurde la théorie de cette séparation; chacun le comprendra de lui-même. Dès que l'Etat refuse de donner à Dieu ce qui est de Dieu, il refuse, par une conséquence nécessaire, de donner aux citoyens ce à quoi ils ont droit comme hommes; car, qu'on le veuille ou non, les vrais droits de l'homme naissent précisément de ses devoirs envers Dieu. D'où il suit que l'Etat, en manquant, sous ce rapport, le but principal de son institution, aboutit en réalité à se renier lui-même, et à démentir ce qui est la raison de sa propre existence. Ces vérités supérieures sont si clairement proclamées par la voix même de la raison naturelle, qu'elles s'imposent à tout homme, que n'aveugle pas la violence de la passion. Les catholiques, en conséquence, ne sauraient trop se garder de soutenir une telle séparation. En effet, vouloir que l'Etat se sépare de l'Eglise, ce serait vouloir, par une conséquence logique, que

l'Eglise fût reduite à la liberté de vivre selon le droit commun à tous les citoyens. — Cette situation, il est vrai, se produit dans certains pays. C'est une manière d'être qui, si elle a ses nombreux et graves inconvénients, offre aussi quelques avantages, surtout quand le législateur, par une heureuse inconséquence, ne laisse pas que de s'inspirer des principes chrétiens; et ces avantages, bien qu'ils ne puissent justifier le faux principe de la séparation, ni autoriser à le défendre, rendent cependant digne de tolérance un état de choses qui, pratiquement, n'est pas le pire de tous.

Mais en France, nation catholique par ses traditions et par la foi présente de la grande majorité de ses fils, l'Eglise ne doit pas être mise dans la situation précaire qu'elle subit chez d'autres peuples. Les catholiques peuvent d'autant moins préconiser la séparation, qu'ils connaissent mieux les intentions des ennemis qui la désirent. Pour ces derniers, et ils le disent assez clairement, cette séparation, c'est l'indépendance entière de la législation politique envers la législation religieuse; il y a plus, c'est l'indifférence absolue du Pouvoir à l'égard des intérêts de la société chrétienne, c'est à dire de l'Eglise, et la négation même de son existence. — Ils font cependant une réserve qui se formule ainsi: Dès que l'Eglise, utilisant les ressources que le droit commun laisse aux moindres des français, saura, par un redoublement de son activité native, faire prospérer son œuvre, aussitôt l'Etat intervenant pourra et devra mettre les catholiques français hors du droit commun lui-même. — Pour tout dire en un mot, l'idéal de ces

hommes serait le retour au paganisme : l'Etat ne reconnait l'Eglise, qu'au jour où il lui plait de la persécuter.

Nous avons expliqué, Vénérables Frères, d'une manière abrégée mais nette, sinon tous, au moins les principaux points sur lesquels les catholiques français et tous les hommes sensés doivent pratiquer l'union et la concorde, pour guérir, autant qu'il est possible encore, les maux dont la France est affligée, et pour relever même sa grandeur morale. Ces points sont, la Religion et la Patrie, les pouvoirs politiques et la législation, la conduite à tenir à l'égard de ces pouvoirs et à l'égard de cette législation, le Concordat, la séparation de l'Etat et de l'Eglise. — Nous nourrissons l'espoir et la confiance, que l'éclaircissement de ces points dissipera les préjugés de plusieurs hommes de bonne foi, facilitera la pacification des esprits, et par elle l'union parfaite de tous les catholiques, pour soutenir la grande cause du *Christ qui aime les Francs.*

Quelle consolation pour Notre cœur, de vous encourager dans cette voie, et de vous contempler tous, répondre docilement à notre appel ! — Vous, Vénérables Frères, par Votre autorité et avec le zèle si éclairé pour l'Eglise et la Patrie, qui vous distingue, vous apporterez un puissant secours à cette œuvre pacificatrice. — Nous aimons même à espérer que ceux qui sont au Pouvoir voudront bien apprécier nos paroles, qui visent à la prospérité et au bonheur de la France.

En attendant, comme gage de Notre affection paternelle, Nous donnons à Vous, Vénérables Frères, à votre Clergé, ainsi qu'à tous les catholiques de France, la Bénédiction Apostolique.

Donné à Rome, le 16 Février de l'année 1892, de Notre Pontificat la quatorzième.

LEO PP. XIII.

DECRETVM

QVO DVBIA NONNVLLA EXPLICANTVR
S. RITVVM CONGREGATIONI PROPOSITA DE CVLTV
SACRAE FAMILIAE

—

DVBIA

Postquam litterae a Sacra Rituum Congregatione, die 10 Decembris 1890, de cultu Sacrae Familiae singularum dioecesium Ordinariis transmissae fuerunt, eidem Sacrae Congregationi sequentia Dubia proposita sunt, nimirum:

I. An Seminaria, Collegia, Congregationes et Religiosae Familiae possint per formulam novissime a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII approbatam semet Sacrae Familiae consecrare, itemque Paroeciae, Dioeceses ac Regiones?

II. Preces ab eodem Sanctissimo Domino Nostro itidem approbatae atque indulgentiis ditatae, a singulis familiis coram imagine Sacrae Familiae recitandae, possuntne in Ecclesiis publicis usurpari?

III. Licet ne familiis, quae iam speciali ratione Sancto Ioseph se consecrarunt, semet Sacrae Familiae dedicare?

IV. Quum permultae orationes, litaniae, formulae consecrationis Sacrae Familiae et alia huiusmodi in pluribus locis circumferantur, quomodo providendum?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunata, referente me infrascripto Cardinali Praefecto, omnibus rite perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. Quoad Seminaria, Collegia et singulas Domos Congregationum ac Familiarum Religiosarum *Affirmative;* quoad Paroecias, provisum per consecrationem familiarum in singulis Paroeciis; quoad cetera *Non expedire:*

Ad II. *Affirmative,* sed coram Imagine Sacrae Familiae:

Ad III. *Affirmative:*

Ad IV. Quoad litanias, comprehendi sub universali vetito Litaniarum, quae explicite approbatae non fuerint a Sede Apostolica; quoad orationes, formulas consecrationis aliasque preces sub quovis titulo ad Sacram Familiam honorandam adhibitas, mittendas esse ab Ordinariis locorum, nec non a Superioribus Religiosarum Congregationum, ut debito examini subiiciantur; secus in posterum licite usurpari nequeant. Die 13 Februarii 1892.

De his autem facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII. per me infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua resolutiones Sacrae eiusdem Congregationis ratas habuit, et confirmavit. Die 18, iisdem mense et anno.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praefectvs

L. ✠ S.

Vincentivs Nvssi S. R. C. *Secretarius*

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOBILI VIRO
MAXIMILIANO LIBERO BARONI DE WITTINGHOFF-SCHELL
VINDOBONAM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOBILIS VIR
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Perlectis obsequiosis litteris, quas fideles innumeri, te praeeunte, aliisque tecum curantibus egregiis viris, Vindobonae congressi ad Nos dedere die sacra conceptui Virginis parentis Dei, paternae caritatis officio censeremus deesse nisi testaremur vobis mutuae dilectionis sensus et quam e studiis vestris cepimus voluptatem. Id autem eo libentius agimus quod noscimus, probe vobis perspectam esse gravitatem causae de qua actum est in litteris Nostris encyclicis superiore anno idibus maiis datis, alteque insidere animis vestris curam connitendi Nobiscum nequid amplius dimicationis sit opifices inter et pecuniosos homines qui labore ad quaestum utuntur alieno. Praeprimis vero iucunde ex eo affecti sumus quod intelleximus pie coli a vobis atque impense diligi christianam religionem, unde

potissima mali remedia petenda esse docuimus. Equidem vehementer optamus votisque Nostris exposcimus, ut quae iuxta tradita a Nobis documenta per vos geruntur eruntque gerenda, quo illud quod diximus tollatur certamen, prospere cedant aliorumque oculos in se convertant. Sic enim non modo inspiciemus sublata ex parte vel allevata incommoda quae communiter deflemus, sed etiam ii qui a Nobis dissentiunt secundo illecti successu vestro facile inducent animum ut vestra terant vestigia et imitentur exempla. Fusis interea coram Deo precibus ut te, dilecte fili, nobilis vir, ceterosque qui tecum exhibiti Nobis officii fuere participes, suo tegat praesidio donisque cumulet, et vestris propitius faveat inceptis, Apostolicam benedictionem tibi illisque simul et familiis vestris peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXV Februarii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

HONORABILI VIRO
THOMAE B. BRYAN
CHICAGIAM

—

LEO PP. XIII.

HONORABILIS VIR
SALVTEM

Quum parari certatim videamus ubique saecularia solemnia ad memoriam honestandam clarissimi viri optimeque meriti de re christiana omnique per eam inducto humanitatis cultu, perlibenter intelligimus hoc laudis certamen alias inter gentes, iniisse foederatas quoque septentrionalis Americae civitates ea ratione quae digna sit amplitudine et ubertate regionis suae omni copiarum genere instructae, ac nomine tanti viri cui hic honos habetur. Nihil enim vero splendidius iis quae nunciantur de spectaculo insigni et apparatissimo quod populus iste exhibiturus erit Chicagiae, collatis apteque propositis rebus operibusque omne genus quae ferax natura gignit vel industrium conficit hominis artificium. Cuius rei molitio et effectio novum profecto erit praebitura argumentum

vasti animi et actuosae vis istius populi, ingentia quaeque et ardua magno felicique ausu aggredientis. Huic vero rei celebritati, finis quo spectat nobilitatem parem esse laetamur: pertinet enim ad testimonium honoris gratique animi erga eum quem diximus immortalem virum, qui cupidus reperiendi tramitis quo veritatis lux et utilia civilis cultus ornamenta ad ultimas usque orbis plagas inferrentur, nec deterreri potuit periculis nec defatigari laboribus donec, instaurata quodammodo necessitudine duas inter iamdiu seiunctas humani generis partes, tanta utrique benefacta praestitit, ut par haberetur paucis, nemini fortasse secundus. Dum itaque eam ob rem peramplae Reipublicae cives merita ornamus laude, fervida vota facimus ut nobile eorum inceptum, ceteris faventibus populis suasque conferentibus opes, prosperos habeat successus, hominumque acuendis ingeniis, fovendis naturae studiis bonisque artibus cunctis provehendis proficiat.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVII Februarii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IOSEPHO BENEDICTO TIT. S. PVDENTIANAE
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI DVSMET
ARCHIEPISCOPO CATANIENSI
CATANAM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum pro ea qua te complectimur caritate paterna gaudio Nos afficiant quae tibi ex sententia contingunt, committere nolumus ut propediem celebranti tibi natalem diem episcopatus tui, quinque et viginti abhinc annos suscepti, Nostrae desint gratulationis officia. Tuis itaque vocibus Nostras ultro iungimus ut gratias laudesque agamus sospitatori Deo qui te labores inter pastoralis muneris, iniquo, nedum difficili tempore, incolumem praestitit, novis imo laboribus suscipiendis paratum. Ad haec preces adiicimus quibus eum rogamus ut te diutissime servet adhuc ac novis quotidie viribus et donis instruat, quorum ope omnia quae multa cum laude hactenus egisti facere

pergas alacriter et fructus videas ministerii tui rebus secundissimis auctos. Huius interea divinae benignitatis auspicem, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte Fili Noster, clero et populo tuae vigilantiae concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Martii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
MICHAËLI FELICI EPISCOPO TREVIRENSI
AVGVSTAM TREVIRORVM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Vix est ut iucundius quidquam et aptius Nostro leniendo dolori in hac rerum asperitate possit obvenire, quam distincta ac diligens eorum enarratio quae in litteris tuis die xx Februarii datis dilucide legimus explicata. Multas equidem tibi gratias habemus quod Nos vocare in partem volueris sancti illius gaudii quo merito perfusus es ex pluribus ac praeclaris pietatis solidae argumentis, quae catholici homines istius et finitimarum regionum edidere, quum sancta Christi Tunica inspicienda ac veneranda fidelibus in templo cathedrali tuo proposita est. His autem pietatis indiciis libenter intelleximus admixta quaedam fuisse signa mirabilia, quorum probationibus rite colligendis gaudemus te operam dare pro pastorali officio et vigilantia tua. Ac plane decuit te ex earum rerum omnium

adspectu, Nos ex accepta notitia refici ac recreari. In ea namque animi aegritudine quam gignit licentia impunis malorum facinorum et impietatis late grassantis dominatus, laetificat in primis mulcetque animum inspectio et agnitio eorum quae bonitatem divinam ac regnantem in cordibus hominum Christum ostendunt. Ceterum haud mirati sumus aliis fidei et pietatis testimoniis accessisse etiam studia opem ferendi communi fidelium parenti in hac tempore difficultate; quae studia Nobis comperta sunt ex oblatione collatae stipis, quam iunctam litteris tuis ad Nos misisti. Pergratum sane Nobis feceris si pro tua dilectione curaveris ut sensus grati animi Nostri piis largitoribus innotescant. Deum interea rogantes ut te illosque simul gratiae suae muneribus cumulet ac pietati fidelium regionum istarum nova in dies det incrementa, Apostolicam benedictionem, paternae caritatis testem tibi, clero et populo tuae curationi concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Martii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS IN CATHEDRALI ECCLESIA SHERBROOKENSI
CANONICORVM CAPITVLVM INSTITVITVR

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ex officio supremi Apostolatus, quo nullis quidem meritis Nostris, in sublimi Principis Apostolorum cathedra collocati fungimur, ut quaevis Cathedralis Ecclesia suo Capitulo sit instructa diligenter invigilamus, atque in id auctoritatem Nostram interponimus, et eiusdem Ecclesiae Canonicos, qui Episcopi senatum constituunt, atque inibi divinis laudibus concinendis sunt addicti, peculiaribus privilegiis et insignibus decorare non cunctamur, prout in Domino conspicimus salubrius expedire. Quam ob rem cum peropportunum visum sit, ut ad Cathedralis Ecclesiae tuae Sherbrookensis in regione Canadensi splendorem dignitatemque amplificandam, Canonicorum Capitulum ibidem instituatur, Nos omnibus rei momentis attente perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis propagandae fidei praepositis, omnes et singulos quibus

Nostrae hae litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, tibi, Venerabilis Frater, eas tenore praesentium partes committimus, ut in Cathedrali tua Ecclesia Canonicorum Capitulum servatis servandis, auctoritate Nostra Apostolica instituas, atque erigas. Capituli autem sic erecti canonicis nunc et in posterum existentibus perpetuum in modum similiter de Apostolica Nostra auctoritate veniam facimus, ut durante hyemali tempore lineum amiculum manicatum, sive rochetum et cappam magnam cum pelle mustelae, vulgo « armellino » induere, tempore vero aestivo superpelliceum et rochetum gestare licite possint ac valeant. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit. in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XI Martii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS PRAEFECTVRA APOSTOLICA NORVEGIAE
AD GRADVM APOSTOLICI VICARIATVS ERIGITVR

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quum Nobis in sublimi Principis Apostolorum cathedra, nullis quidem meritis, divinitus constitutis, antiquius nihil sit ac magis gratum, quam ut in omnem terram vera Christi fides propagetur, in id curas omnes Nostras alacri studio intendimus, nimirum ut catholicae missiones, maiora in dies incrementa suscipiant, iisque quae et fidelium numero florent et uberes in vinea Domini fructus pollicentur, peculiaria ornamenta addere non cunctamur. Hac mente ut incrementa quae catholica religio in Praefectura Apostolica Norvegiensi postremis hisce temporibus feliciter nacta est, magis magisque in posterum amplificentur, cum peropportunum visum fuerit novum ipsa in regione catholico nomini decus adiungi; Nos omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis propagandae fidei praepositis, praedictam praefecturam Apostolicam Norvegiensem, ad gradum et titulum Apostolici Vicariatus eve-

hendam esse censuimus. Idcirco omnes et singulos quibus Nostrae hae litterae favent peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, praefecturam Apostolicam Norvegiae, quae universam eius nominis regionem complectitur ad gradum et titulum Apostolici Vicariatus erigimus, ibique omnia et singula, quae ad Vicariatus Apostolicos pertinent privilegia, atque indulta concedimus, simulque Apostolici Vicariatus Norvegiensis nomen tribuimus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque speciali mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XI Martii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
HAMILCARI ARCHIEPISCOPO FIRMANO
ALIISQVE EPISCOPIS PROVINCIAE PICENI
FIRMVM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pastoralem zelum vestrum, qui multis praeclarisque argumentis iam innotuerat, magis magisque commendarunt Nobis obsequiosae litterae ad Nos perscriptae post consilia collata in communi conventu Firmi habito, et dono missum exemplum pastoralis epistolae, quam coniunctim dedistis ad clerum et populum dioecesium vestrarum. Plane in hac saevitia belli quod contra Ecclesiam geritur, in quo, deficientibus externis praesidiis, omnia sita sunt in virtute fidelium maximeque sacrorum Antistitum, non leve Nobis attulere solatium nobiles quas legimus in vestris litteris significationes fidei et constantiae sacerdotalis, ac praesertim arctissimae consociationis animorum cum hac in qua locati sumus Apostolica Sede. Insuper

quod tetrum et acerbum inerat odiis iniustis hostium religionis, foedisque conviciis in Nos coniectis, quae merito deflentes memoravistis, extenuari admodum et allevari persensimus acceptis verbis suavissimis quibus amorem profitemini et observantiam vestram, studiumque quo contenditis, precum communium ope, uberiorem Nobis a summo Deo impetrare gratiarum caelestium copiam, et opportuna delinimenta doloris. Grato igitur animo prosequentes officia vestra, vicissim vobis adprecamur praevalida dexterae Excelsi subsidia, eorumque in auspicium Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Martii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
SEBASTIANO S. R. E. CARDINALI GALEATI
ARCHIEPISCOPO RAVENNATIVM
RAVENNAM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Valde quidem et adsentiendum ducimus et gratulandum iis, qui consilium cepere, monumentum ex collatione omnium populorum Danti nostro Ravennae ponere. Quis enim dignior gratae posteritatis obsequio? Quandoque hodie tantum operae nobilissimi poetae ingenio scriptisque datur, consentaneum erit dedisse aliquid memoriae etiam et cineribus: recte in id advocatâ ex variis terrarum partibus liberalitate, propterea quod in summis viris ornandis, qui ante alios atque excellenti ratione de communi gentium humanitate meruerint, virtus est spectanda, non civitas. Ad Nos privatim quod pertinet, ea potissimum cogitatione movemur, quam praeclarum ille sit christianorum institutorum decus. Quamquam enim

acerbitatibus exilii actus in iram, partiumque studiis demotus identidem ab aequitate iudicii, numquam tamen commisit ut a veritate christianae sapientiae averteret animum. Quin immo incorruptos altioresque sensus ex intima religione deprompsit: flammamque ingenii natura acceptam afflatu fidei divinae aluit ac roboravit usque adeo, ut mysteria augustissima carmine non prius audito effari iusserit poeticam. His de caussis testimonium animi voluntatisque Nostrae nolumus tanto nomini deesse; proptereaque conferre in monumentum Aligherii supra dictum decrevimus decem millia italicorum nûmmum: quam summam, dilecte Fili Noster, adnumerari tibi iussimus: tuque, quibus oportet, adnumerabis. Bibliothecae vero Classensi dono mittimus exemplar unum divini Poematis, quale ex codice Vaticano, auctoritate iussuque Nostro, viri ingeniosi atque eruditi haud multo ante excudit industria. Interea divinorum munerum auspicem et benevolentiae Nostrae testem tibi et clero populoque tuo Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Martii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

CHRISTIANO IX. DANIAE REGI

LEO PP. XIII.

SERENISSIME ET POTENTISSIME REX

SALVTEM

Ea quae propediem recolenda erit laetitia faustae diei, qua ante annos quinquaginta a Maiestate Tua connubium cum Serenissima Regina celebratum fuit, gratam Nobis opportunitatem praebet qua utrique sinceros gratulationis Nostrae sensus expromamus. Quum porro explorata sint nobis egregia animi tui ornamenta, inter quae, uti Regem decet, iustitia et aequitas eminent, confidenter non minus quam studiose catholicos homines in tua ditione degentes atque imprimis Praefectum Apostolicum Ioannem Von Euch iisdem praepositum, benevolentiae commendamus et humanitati tuae. Certa autem spe freti verba Nostra amice ac benigne exceptum iri, suppliciter poscimus a summo Deo ut Maiestatem Tuam, Regiam Coniugem

totamque inclytam Domum tuam custodiat assidue, perdiu sospitet et omni prosperitate fortunet.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Martii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS PRIORI MONASTERII CIRICIENSIS
IN DIOECESI TARNOVIENSI
INSIGNIVM PONTIFICALIVM VSVS IN COENOBII ECCLESIA
CONCEDITVR

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Cum Venerabilis Frater Ignatius Episcopus Tarnoviensis ad Nos retulerit, te, pietatis zelo, doctrinae copia et sacerdotalium virtutum flore conspicuum, amplissimo munere fungi Prioris vetustissimi Ciriciensis monasterii, et inspectis tum tuis, dilecte fili, praestantissimis meritis, tum Coenobii illius, adnexique templi vetustate ac celebritate, Nos enixe flagitaverit, ut tibi pontificalium usum insignium elargiri de benignitate Nostra velimus; Nos omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis, votis huiusmodi annuendum existimavimus, quo simul et egregie factorum proemium feras, et tibi commissi Coenobii decor amplificetur. Quare te ab quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sen-

tentiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce litteris, auctoritate Nostra Apostolica, personae tuae, dilecte fili, concedimus, tuaque vita durante, ut donec monasterii praedicti Ciriciensis in dioecesi Tarnoviensi Prioris munere fungaris, dum sacris operaberis in ipsius Coenobii Ecclesia, pontificalibus insignibus uti, servatis servandis, licite possis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXV Martii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

EPISTOLA

DILECTO FILIO

MARCELLINO A CIVETIA

SODALI FRANC. EX ORDINE VETERIS OBSERVANTIAE

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Res gestas mandare litteris eleganter simul ac fideliter, laus est in historicis maxima: quam tamen, seu inopiâ doctrinae, seu praeiudicatarum impedimento opinionum, non ita multi cumulate adipiscuntur. Ad eam te videmus, dilecte fili, prospero successu contendere in iis nominatim libris, in quibus facultatem ingenii tui variamque eruditionem eo adhibuisti ut vim rationemque Pontificatus romani exponeres, eiusque actiones, qua parte cum rebus italicis colligatae sunt, vero in lumine collocares. Illud recentius, nec exiguae molis opus, in quo tecum elaboravit Theodori Dominichelli, collegae tui, industria diligens intelligensque iudicium: apographon intelligimus divini poematis ex praeclaro codice Vaticano, cum interpretatione latina atque explanatione Ioannis Serravallen-

sis, nunc primum operâ vestrâ editum. Ita quidem cultor pius, idemque laudator grandiloquus Francisci patris Dantes, inter ipsos Francisci alumnos quemadmodum saepe alias, ita nuper nactus est, qui in illustrando propagandoque opere ipsius maximo libentes atque alacres, velut gratiam relaturi, insudarent. Sed in eo etiam operae pretium videmini fecisse, quod vestro confirmatum exemplo est, religiosos viros, quos tam superbe recens fastidit aetas, pergere more suo de litteris, de omni politiore humanitate mereri. Quamobrem sic habete, valde Nobis ingenii vestri fructus accidisse iucundos. Interim vero divinorum munerum auspicem benevolentiaeque Nostrae testem Apostolicam benedictionem utrique vestrum peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Aprilis MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS ECCLESIAE CATHEDRALIS WLATISLAVIENSIS CANONICIS
CERTA HONORIS INSIGNIA CONCEDVNTVR

—

LEO PP. XIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Ecclesiasticos viros qui in templis maxime conspicuis sacri ministerii partes obeunt, ac praesertim coetus canonicorum qui divinis laudibus concinendis operam navant, de more romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, cum gravis momenti causae id exposcant, peculiarium insignium accessione augustiores efficere solemus, ut iis aucti et christianae plebis obsequium sibi magis magisque concilient et ipso habitu, quantum amplitudine ceteris antecellant, prodant. Hac mente cum Venerabilis Frater Alexander Episcopus Wlatislaviensis enixas Nobis preces adhibuerit, ut Cathedralis suae Ecclesiae Capitulo quaedam addere ornamenta de Nostra benignitate velimus, Nos animo repetentes vetustissimi ipsius templi celebritatem atque splendorem, votis huiusmodi annuendum libenti animo censuimus. Quare omnes et singulos quibus Nostrae hae litterae favent peculiari benevolentia com-

plectentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de Apostolica Nostra auctoritate, vi praesentium, perpetuum in modum concedimus, ut Cathedralis Ecclesiae Wlatislaviensis nunc et in posterum existentes Canonici focale violacei coloris, vestes nigras globulis et oris item violacei coloris ornatas, nec non violaceam similiter fasciam gestare licite possint et valeant. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die v Aprilis MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS ARCHIDIOECESIS MARIANOPOLITANA DIVIDITVR
ET NOVA DIOECESIS CAMPIVALLENSIS ERIGITVR

—

LEO PP. XIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Universalis Ecclesiae procuratio, Nobis licet immerentibus divinitus commissa, Nos admonet ut novas in orbe catholico dioeceses constituamus, quum id ad maiorem dominici gregis utilitatem cedere videatur. Cum vero Archiepiscopus et Episcopi provinciae ecclesiasticae Marianopolitanae Canadensis regionis enixas Nobis preces adhibuerint, ut Archidioecesim Marianopolitanam dividere ac dismembrare et novam dioecesim suo proprio Antistiti credendam, erigere velimus; Nos quo satius aeternae illorum Christifidelium saluti prospiciatur, de consilio etiam VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium S. Congregationis christiano nomini propagando praepositorum, huiusmodi votis obsecundandum censuimus. Itaque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, Motu proprio, ab Archidioecesi Marianopolitana sequentes regiones, seu comi-

tatus Beauhamois, Chateauguay, Huntingdon, Soulanges et Vaudrevis vocatos, iuxta eorum civiles limites seiungimus ac dismembramus, eosque in vere ac proprie dictam dioecesim cum sede in civitate Campivallensi vulgo « Valleyfield », ei idcirco dioecesi nomine Campivallensis imposito, erigimus et constituimus. Illam porro dioecesim cuius confinia erunt ad Septentrionem et Orientem cum Archidioecesi Marianopolitana, ad meridiem cum dioecesi Ogdensburgensi, et ad Occidentem cum dioecesibus Alexandrinopolitana et Octaviensi, Archiepiscopi Marianopolitani suffraganeam esse mandamus, atque omnibus honoribus, privilegiis, iuribus frui, quibus aliae Episcopales Ecclesiae fruuntur et gaudent. Decernentes has litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non Benedicti XIV praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die v Aprilis MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
IOSEPHO SEBASTIANO S. R. E. CARDINALI NETO
PATRIARCHAE OLISIPONENSI
AMERICO S. R. E. CARDINALI DOS SANTOS SILVA
EPISCOPO PORTVS CALENSIS
ALIISQVE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS LVSITANIAE

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII NOSTRI
VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Non mediocri affecti sumus laetitia perlectis litteris vestris communiter ad Nos datis, per quas certiores facti sumus de frequenti conventu, quem, flectente ad exitum superiore anno, Olisipone in aedibus patriarchalibus habuistis. Huius rei notitia cum per se Nos magnopere delectavit, tum propter summam qua coivistis animorum concordiam, quae divini spiritus qui vobis aderat insigni erat indicio. Quam grata Nobis extiterint studia vestra in eam rem collata, facile vobis ex eo agnitu est quod nihil fere sit quod soleamus suadere impensius prae hu-

iusmodi conventibus, aut ubi acti fuerint, maiore prosequi laude. Siquidem illorum ope arctiora fiunt mutuae caritatis vincula quae sacrorum Antistites inter se iungunt; sancta fit virium singulorum conspiratio ad commune bonum; communicatis prudentiae luminibus collatisque consiliis prospicitur efficacius ne robur elanguescat ecclesiasticae disciplinae; stirpitus evelluntur irrepentes abusus; tutiori sepitur custodia fidei puritas et morum; opera religioni utilia omnesque rei catholicae rationes provehuntur. Quum porro ex hisce coetibus exploratior fiat Pastorum consensio, ea prodest mirifice ut fidelis populus ad eam imitandam excitetur, adeoque pronior sit ad pacem servandam, ad colendum supremum Principem, ad parendum magistratibus, quorum auctoritas nullum firmius quam religionem populi potest nancisci praesidium. — Itaque vehementer optamus ut aliis quae praebuistis illustribus argumentis devotae Nobis et Ecclesiae voluntatis hoc etiam adiiciatur ut ea pergentes, quam iniistis, via, horumce conventuum agendorum consuetudinem sedulo retineatis, quo plenius ea possitis efficere quae innuimus ac suasimus in litteris Nostris, quarum initium « *Pergrata Nobis* » et « *Pastoralis vigilantiae* » quas in epistola vestra libenter vidimus memoratas.

Plane uberioris fructus congressionum vestrarum laetam Nobis spem ostendunt ea quae nuper a vobis constituta sunt, praesertim quae eo pertinent ut christianae fidei doctrinâ pueri rudesque homines imbuantur. Qua in re multa laude Nobis digna visa sunt incitamenta quibus

erigere et inflammare studuistis caritatem et industriam spectabilium mulierum quae societatem iniere a *pio opere* appellatam, parochorum adiutricem ad eos erudiendos qui elementa religionis ignorant. Sane Nobis in votis est ut Episcoporum favore et patrocinio magis in dies augescat et floreat haec consociatio et alia quae exstant salutaria id genus instituta. Verum enimvero ipsimet intelligitis, dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, quam late pateant mala ex fidei ignoratione oborta, quam gravibus egeant remediis, et quantopere civilis societatis, nedum Ecclesiae, intersit funestam hanc labem depelli sanamque doctrinam in omnes civium ordines dominari. Quare certo confidimus sedulas curas vestras nunquam intermissum iri donec eo quo tendere oportet feliciter vos pervenisse noveritis.

Atque huius constantis sedulitatis vestrae certum Nobis pignus praebent curae, quas collatas a vobis vidimus in aliis pluribus statuendis, quae ratio temporis et gregum vestrorum bonum flagitabant. In hoc numero ea potissime recensemus meritaque ornamus laude, quae graviter a vobis scita sunt ut ephemerides vulgentur quae tueantur religionis causam, ut festis diebus debitus, quem divina lex praecipit, habeatur honor, ut parochis et praeceptoribus alumnorum in seminariis ea praebeantur auxilia per quae ministerium suum commodius obire queant, demum ut in Lusitana ditione religiosi ordines restituantur. Equidem in hac restitutione deposcenda non modo pastoralem zelum vestrum agnoscimus, sed etiam eximiam

pietatem in patriam, quum earum sodalitatum opera tum Lusitaniae fidelibus perutilis futura sit, tum maximas praebeat opportunitates ut missiones transmarinae prosperos successus habeant, eaque huic regno pariant ornamenta gloriae quae compararunt olim maioribus vestris. Quare optamus ex animo et vota facimus ut qui summae rei praesunt iustis annuant postulationibus vestris, quod si contigerit id non magis Ecclesiae quam ipsis reique publicae benevertet.

Minime Nos difficultas praeterit quam habent plura ex iis, quae vel aggressi estis, vel adhuc a vobis expectamus. Nihilominus studium, quo colitis hanc Apostolicam Sedem et creditarum vobis animarum salutem expetitis, cuius studii praeclara cernimus in litteris vestris indicia, certam Nobis fiduciam affert neque constantiam defore vobis neque gratiae caelestis auxilia, per quae sollicitudines et conatus vestri optatos exitus sint habituri.

Divinae interea benignitatis auspicem, Nostraeque dilectionis testem, Apostolicam benedictionem vobis, dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, nec non clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Aprilis MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IOANNI BAPTISTAE DE ROSSI
MVSEI CHRISTIANI PRAEFECTO

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quoniam saepe e studiis scriptisque tuis iucundum cepimus solatii fructum, decet Nos quoque participes fieri communis laetitiae, qua tibi annum vitae septuagesimum feliciter emenso quamplurimum gratulantur qui te probe noverunt et diligunt. Huius autem gratulationis sensus datis litteris placet expromere, ut novum sint testimonium benevolentiae Nostrae erga te, cuius numquam obscura fuit addictissima Nobis et Ecclesiae voluntas. Idque eo libentius praestare Nos convenit quod sedulas curas a te impensas in perquirendis illustrandisque sanctioribus vetustatis monumentis, et multiplex quo instructus es eruditionis genus, et ipsam quam semper coluisti litterarum elegantiam eo contuleris potissime ut nova praesto essent tela et praesidia iis qui catholicam veritatem tuentur, vel

ut auctior fieret sacrarum disciplinarum supellex, vel ut rerum hominumque illustria decora, quibus floruit Ecclesia, aut eruta e tenebris innotescerent, aut clarius eniterent novo doctrinae criticaeque artis lumine admoto. Quare dum tecum gratias agimus summo Deo, qui te hactenus servavit incolumem, eum rogamus suppliciter ut te diu sospitet adhuc, neque tui sinat animi vires aetatis flexu elanguescere; quo magis possis huic urbi decori esse, Ecclesiae utilitati, et solatio Nobis, exemplum praebens filii sapientis qui, ceu sacris docemur litteris, laetificat patrem. Atque huius divinae benignitatis auspicem, Nostraeque testem caritatis paternae, Apostolicam benedictionem tibi tuisque, dilecte fili, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Aprilis MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ALOISIO EPISCOPO ANNECIENSI
ANNESIVM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sacrae a Visitatione Virgines ex primario Sanctae Mariae Monasterio Anneciensi, quum litteras ad Nos, religiosissimi plenas obsequii, non ita pridem supplices miserint, visum est Nobis satis earum votis fieri debere, te, Venerabilis Frater, interprete adhibito et nuntio. Quod enim significavere consilium, edendi ex integro opera omnia sancti Francisci Salesii, Ecclesiae Doctoris, placuit omnino, sive propter rei ipsius praestantiam atque utilitatem, sive propter insigne earumdem Virginum argumentum pietatis erga Patrem suum legiferum, cuius ad sacros cineres student sanctimoniae. — Editioni autem accessurum profecto est pretium, tum ex magna codicum et authographorum eius copia, quae, prout earum litterae attulerunt, in ipsomet Monasterii tabulario ad excutiendum sunt

prompta, tum etiam quod cum auctoritate et vigilantia tua, Venerabilis Frater, doctioribus e clero viris curas conferentibus, adornatur illa et conficitur. Quibus e rebus, atque ex artis oblato Nobis specimine, spes bona apparet, susceptum opus tanta in genere suo perfectione futurum, ut et aequis rerum aestimatoribus collaudandum, et compluribus utile, et inclito Doctore monumentum plane dignum existat. Cuius quidem doctrinam quum Nos magni semper fecerimus, adamaverimus, veniam idcirco, quam expetunt, isti devotarum Virginum Collegio libentiore animo damus, ut eiusdem libros de nomine Nostro inscribant et proferant.

Haec ad eas, Venerabilis Frater, perferas optamus, unâque pignus paternae benevolentiae Nostrae pientissimis afferas, Apostolicam benedictionem, quam tibi pariter tuisque amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Aprilis MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

PETRO GASPARRI A CVBICVLO NOSTRO INTIMO

PARISIOS

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod eisdem in rebus alii quidem atque alii scribere instituant, sic tamen ut quam quisque spectet in commune bonum rationem ex sententia assequantur, haec sane praeclara est optimorum industria et laus ingeniorum. Quam tibi laudem, dilecte fili, recte conciliavit peperitque opus a te nuper binis voluminibus editum, *Tractatus canonicus de Matrimonio,* quod ex isto, ubi sacris canonibus interpretandis obtines magisterium, Instituto catholico, Nobis, pro observantia et pietate tua, dono exhibendum curasti. — In re enimvero versatus es non nova, sed gravi admodum et asperioris in dies negotii, ex qua eo magis doctrina tua et iudicium elucet, eoque uberior consecutura utilitas est; quum praesertim non pauca attuleris congruenter temporibus locisque agitata et conclusa,

multa praeterea et responsa doctorum et consulta decretaque Ecclesiae prudenti delectu subieceris, unde iis etiam qui morum disciplinam tractent, bona petere liceat adiumenta. Laus porro accedit operi praestantissima, qua doctores scriptoresque catholici maxime honestantur, profecta nimirum ab obsequio et fide, quae in huius Apostolicae Sedis auctoritatem, quam religiose custodis, tam aperte et firmiter profiteris.

Itaque Nos tibi, dilecte fili, eidemque Instituto ex animo gratulamur, atque Apostolicam benedictionem, quae et omnibus paternam testetur caritatem Nostram, et tibi auspicium sit felix ad ampliora enitenda, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Aprilis MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

GASPARI DECVRTINS

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Prudentia dignum et gravitate tua visum Nobis est consilium a te initum quod significari Nobis curavisti de selectis quibusdam vulgandis scriptionibus ad normam exactis catholicae veritatis, quibus eae disciplinae illustrantur ac perficiuntur quae sociales audiunt. Id sane accommodum intelligimus rationi temporis huius quo disceptatur acriter de quaestionibus gravissimis, quae in hisce explicandis disciplinis occurrunt, quaeque salutares vel nocentissimos gignere solent effectus, prout recta vel prava fuerint sententia definitae. Neque vero ambigimus quin haec, quam moliris, bibliotheca tua plurimum valitura sit ad eos edocendos qui sedato animo veritatem inquirunt, et quoddam quasi armamentarium sit praebitura catholicis viris, optimis instructum telis ad profligandos errores, qui si grassentur impune, nullus non modo felix,

sed ne certus quidem civitatis status esse potest. Quin etiam fore confidimus, ut laboris tui fructus in hanc quoque redundent Italiam nostram, in qua licet egregia non desint virorum ingenia quae harumce disciplinarum studio tenentur, eas tamen vellemus impensius excoli, et florere spectatius scriptionum optimarum varietate et copia. Propitiam interea tibi adprecantes in opere exequendo divinam opem, eoque confecto prosperos successus, Apostolicam benedictionem, paternae caritatis testem, tibi tuisque peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII Aprilis MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
ALEXANDRO BERGASSE ALIISQVE DIRECTORIBVS
OPERIS PERIODICI INSCRIPTI « LE XXme SIÈCLE »
MASSILIAM

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum plurimi a Nobis fiant eorum studia qui animum intendunt ad solida humanae societatis commoda, religione duce, inquirenda, nequivimus litteris non delectari, quas communiter ad Nos dedistis, adiectoque munere duorum voluminum commentariorum qui saeculi vicesimi titulum inscriptum praeferunt. Siquidem testamini, ita vobis propositum esse in iis versari quaestionibus, quae ad scientias attinent quas sociales dicunt, ut scripta quae a vobis eduntur doctrinis congruant quas tradit Ecclesia, iisque nominatim quas complexi sumus Litteris Nostris encyclicis, quas anno superiore dedimus Idibus Maiis de opificum conditione. Plane si id fideliter constanterque a vobis praestitum fuerit, certum Nobis est duplici laude vos orna-

tum iri, qua scilicet ii florent qui scientiam nobilissimam, labe expertem erroris excolunt ac provehunt, et qui civium suorum saluti et commodis tempestive prospiciunt. Meritas interim pro oblato munere gratias agentes, caelestis sapientiae lumina et gratiae praesidia vobis iisque adprecamur qui adiutricem labori vestro operam conferunt, ac paternae caritatis testem, Apostolicam benedictionem vobis illisqne simul peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII Aprilis MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

DECRETVM

DE IVRIBVS ET PRAEROGATIVIS ECCLESIAE S. ANDREAE IN CIVITATE SVBLACI

—

Ad quaestionum germina praecidenda, postulante Emo viro Card. Raphaele Monaco La Valletta, tunc temporis abbatiae Sublacensis administratore, Pius PP. IX apostolicis litteris in forma Brevis, diei 28 Ianuarii 1876 haec decernebat: « His igitur ac caeteris quae perpendenda erant perpensis ac inspectis, definimus ac declaramus, ecclesiam S. Andreae in civitate Sublaci fuisse et esse ecclesiam cathedralem seu loco cathedralis Cardinalis Abbatis Commendatarii Nullius dioecesis Sublacensis, et quatenus opus sit, eam cathedralem ponimus et constituimus, et uti talem ab omnibus habendam esse praecipimus. Adeoque capitulum eiusdem ecclesiae fuisse pariter et esse capitulum ecclesiae cathedralis, seu loco cathedralis, cui proinde omnia iura competunt, quae de iure vel consuetudine capitulis ecclesiarum cathedralium vel loco cathedralium tributa noscuntur. Per hanc autem nostrae constitutionis paginam non intendimus aliquid immutare quoad titulum Abbatis Commendatarii Nullius dioecesis Sublacensis, qui et in futurum vocabitur Abbas Commen-

datarius SS. Benedicti et Scholasticae Nullius dioecesis Sublacensis ad perennandam memoriam primaevae erectionis Abbatiae: nec pariter intendimus ullum inferre praeiudicium iuribus honorificis vel aliis huiusmodi eorumdem monasteriorum, quae sicut antea illaesa manere volumus ».

At statim ab evulgatione huius constitutionis, monachi, veluti dispendium passi, conqueri coeperunt, non omnia aperta fuisse Pontifici, obreptione subreptioneque S. Andreae capitulum apostolicas litteras obtinuisse, ideoque nullitatis vitio eas infici. Et cum temporis decursu minime quiescerent, imo hisce diebus supplici libello postulavissent hac super re causam iuris ordine agi, SSmus D. N. Leo PP. XIII, in audientia diei 4 Maii 1891 infrascripto Secretario concessa, nonnullos Emos Patres e S. C. Concilii deputare dignatus est, ut de hac quaestione viderent, sibique referrent.

Rebus itaque de more actis, partibus auditis, earumque allegationibus rite perpensis in Congregatione particulari diei 2 Aprilis h. a. iidem Emi Patres censuerunt « non constare de nullitate litterarum Apostolicarum diei 28 Ianuarii 1876: » ideoque ecclesiam S. Andreae per has litteras recognitam fuisse vere quasi-cathedralem, et ita constitutam cum omnibus praerogativis ibi expressis, quae, in facto existentes, induxerunt summum Pontificem ad iudicandum eam fuisse et esse quasi-cathedralem.

Quo vero ad ecclesiam S. Scholasticae, hanc earumdem litterarum vi perseveravisse et adhuc perseverare

in suo statu cum iuribus honorificis vel aliis huiusmodi, quae sicut antea illaesa eidem manere debent: ideoque quasi-cathedralem quemadmodum fuit, ita adhuc esse, et monachos item canonicos, imo cum iure potioritatis super ecclesia et canonicis S. Andreae, salvis tamen praerogativis favore eorumdem canonicorum et ecclesiae S. Andreae in iisdem litteris recognitis.

Facta autem ab infrascripto Secretario de his relatione, Sanctitas Sua in audientia diei 4 Aprilis 1892 relationem Emorum Patrum ratam habuit atque approbavit, iussitque id promulgari per S. C. Concilii decretum. Quod per praesentes litteras executioni demandatur, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Ex aedibus S. C. Concilii, die 26 Aprilis 1892.

A. Card. Episcopus Sabinen. Praefectus

L. Salvati *Secretarius*

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE NOVARVM DIOECESIVM
IN BRASILIAE REGIONIBVS

—

LEO EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI
AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ad universas Orbis Ecclesias Romanus Pontifex ex sacri Apostolatus ministerio paternam sollicitudinem sedulo dirigens, interdum nonnulla disponit, quae statui Ecclesiarum huiusmodi, et spirituali quoque bono animarum sibi commendatarum in Domino existimat salubrius profutura. Novas idcirco in Brasiliae regionibus Episcopales Sedes constituere, per quas illorum Christifidelium spirituali bono ac utilitati aptius consuleretur, iam dudum Apostolica Sedes in votis habuit, eiusque semper praecipua cura fuit et sollicitudo. Nonnullae siquidem illic dioeceses tam late protenduntur, et adeo inter se dissita continent loca, ut illorum Antistites, sive ob incrementum gentis, sive ob difficultates ac longinquitates itinerum, necessitatibus fidelium, et rationibus Ecclesiae consulere non valeant. Neque suum studium consulendi Ecclesiae utilitatibus ipsa

Apostolica Sedes obscure tulit, sed illud per suos Legatos Brasilianae nationis civili potestati saepius declaravit, et cum sese occasiones obtulere, eas libenter arripuit, ut novas Brasiliensium bono dioeceses excitaret. His iam causis motus fel: recor: Pius Papa Nonus Praedecessor Noster anno Domini 1848 Dioecesim S. Petri Fluminis Grandis ad Austrum; deinde anno 1854 Diamantinam et Fortalexiensem Dioeceses respective nuncupatas instituit, ex quibus uberes ac salutares in bonum animarum fructus dimanarunt. Constantibus Apostolicae Sedis curis Brasiliensium Episcoporum pientissima studia cumulate responderunt, qui ultro anno superiore in civitate S. Pauli, habito conventu, e religione et ex utilitate Brasiliae esse declararunt, si novae erigerentur Episcopales Sedes; atque Archiepiscopum Bahiae rogarunt, ut Romam petens communia in hanc rem omnium vota ad Nos perferret, Nosque eadem vota Apostolica auctoritate dignaremur explere. Et Nos quidem allatis eorumdem Antistitum votis, quibus et Brasiliensium fidelium studia erant coniuncta, obsecundare non modo opportunum, quin imo necessarium in Domino iudicavimus; proindeque quatuor illic novas Dioeceses erigere, atque ita, sexdecim numero dioecesibus ibidem existentibus, novam etiam Ecclesiasticam Provinciam rite censuimus constituere. Praedictorum itaque Brasiliensium Antistitum ad infrascriptum effectum praestitum consensum ratum acceptumque habentes, cunctisque quae in huiusmodi negotiis inspicienda sunt matura deliberatione examinatis atque perpensis, nec non omnes et singulos quibus praesentes

Litterae favent a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Consistorialibus praepositae, Motu proprio et ex certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine haec quae sequuntur decernimus. Ac primo quidem totum ecclesiasticum territorium Brasilianum bifariam dividimus, in partes scilicet septemtrionalem et australem; eoque ita diviso, duas, ut infra, Ecclesiasticas Provincias septemtrionalem nempe et australem volumus constitutas. Porro partis septemtrionalis Metropolitam constituimus eumdem ipsum Archiepiscopum Sanctissimi Salvatoris, qui hactenus in re ecclesiastica toti Brasiliae praefuit: eique septem Episcopales Ecclesias, scilicet Belemensem de Parà, S. Ludovici de Maragnano, Fortalexiensem, Olindensem, et Goyasensem antiquas, nec non duas alias novas ut infra erigendas, ac Amazonum et Paraybensem vocandas, in suffraganeas subiicimus. Pro constitutione igitur novae huius dioecesis Amazonum, territorium status cognominis a Dioecesi Belemensi ad quam in praesens pertinet, Apostolica auctoritate perpetuo dismembramus, illudque memoratae Amazonum Ecclesiae pro eius dioecesi etiam perpetuo adiudicamus: Sedem et Cathedram Episcopales in civitate Manaos perpetuo fundamus, sacramque aedem honori Deiparae

Immaculatae modo dicatam ad Cathedralis Ecclesiae gradum erigimus. Huiusmodi autem Amazonum Dioecesis fines in hunc qui sequitur modum statuimus; ad Boream nempe erunt territorium Goyana Anglorum, Respublicae de Venezuela, et nova Granatensis. — Ad Occasum Respublicae Aequatoris, et Peruviana. — Ad Austrum Respublica Boliviensis et Dioecesis Cuyabensis, a qua dividetur fluminibus Giparanà, Tapajoz post Ostia Tres-Barras usque ad confluentiam Urugnata, quod in flumen Tapajoz influit. — Ad Orientem demum limites erunt Dioecesis Belemensis de Parà per flumen Rhamunda per montes Parintius, unde linea recta sequitur usque ad laevam fluminis Tapajoz e regione confluentis Tres-Barras. Ad efformandam autem aliam novam Paraybensem Dioecesim, territorium status cognominis et fluminis magni nordici, quae Pernabucensis Dioecesis partem in praesens constituunt, item perpetuo distrahimus, illique attribuimus: in urbe Paraybensi Sedem, et in Ecclesia Sanctissimae Virgini ad Nives nuncupata cathedram Episcopalem fundamus, dictamque Ecclesiam propterea ad Cathedralitatis fastigium perpetuo evehimus. Huiusmodi vero Paraybensis Dioecesis limites orientales et boreales praefiniet usque ad ostia fluminis Massorò Oceanus Atlanticus. — Ad occasum limites erunt catena montium Apadi et Pajeha, quibus a dioecesi Fortalexiensi dividetur. — Ad austrum tandem dioecesis Olindensis per catenam montium Cairiris Velhos, et per catenam montium Imbulanos linea recta ad ostia fluminis Goyana fines erunt.

Ad partem vero Australem quod attinet, huius Metropolitam constituimus et declaramus Antistitem Sancti Sebastiani Fluminis Januarii. Episcopalem idcirco illius Sedem et Cathedram, Episcopale nomen, statum, naturam et essentiam Cathedralitatis ad effectum infrascriptae novae erectionis Apostolica auctoritate supprimimus et extinguimus, ipsamque ad eminentiorem Metropolitanae Ecclesiae gradum et dignitatem pari Apostolica auctoritate perpetuo extollimus; ita ut ipsa ex nunc deinceps Metropolitana Ecclesia nuncupetur, et uti talis reapse habeatur et sit, ac proinde omnibus et singulis iuribus, honoribus, gratiis, favoribus, iurisdictionibus, indultis et privilegiis, quibus alia Metropolitana Ecclesia SSm̃i Salvatoris actu ex communi iure fruitur et gaudet, pariformiter et absque ulla prorsus differentia fruatur et gaudeat. Verum istius novae Archidioecesis territorium redigimus ad vetus Municipium neutrum, nempe ad Reipublicae principem urbem cum suo territorio una cum insula Gubernatoris aliisque insulis, nec non una cum civitate Petropoli eiusque Municipio. Porro Australem hanc Metropolitanam Ecclesiam Sancti Sebastiani Fluminis Januarii septem Episcopales Ecclesias pariter habere volumus Suffraganeas, quarum quinque idest S. Petri Fluminis Grandensis, S. Pauli, Mariannensem, Adamantinam et Cujabensem antiquas, quibus duae novae Sedes Episcopales, altera videlicet Nictheroyensis, et altera Curitybensis de Paranâ respective nuncupandae, et ut infra erigendae, erunt adiiciendae. Nova itaque haec Episcopalis

Sedes Nictheroyensis sic erit constituta: constabit nempe ex statibus Fluminis Januarii et Spiritus Sancti, demptis territorio Ecclesiae Metropolitanae Australi constituendae dato, et territorio seu statu S. Catharinae, qui ad eamdem Ecclesiam Metropolitanam primitus pertinebat. Sedem et Cathedram Episcopales in Urbe Nictheroy perpetuo fundamus, Ecclesiamque S. Laurentio modo dicatam ad Cathedralis Ecclesiae gradum erigimus. Reliqua demum nova dioecesis Curitybensis de Paranâ constabit ex statu cognomine, et ex statu S. Catharinae, quem a Metropolitana Fluminis Januarii divulsum declaramus. Huius pariter novae dioecesis Sedem et Cathedram Episcopales in Urbe Curityba fundamus, prout etiam sacram Aedem Deiparae sub titulo a Luce dicatam ad Cathedralitatis honorem et gradum perpetuo extollimns. Limites praefatae dioecesis ad Aquilonem erunt dioecesis S. Pauli, a qua dividitur fluminibus Paranapanema, Sacaremiri, Sturale, Stapirapuan, et catena montium nigrorum usque ad flumen Ararapira. — Ad ortum Oceanus Atlanticus usque ad flumen Magnipituba. — Ad Austrum a dioecesi S. Petri Fluminis Grandensis dividetur fluminibus Uraguai Pelotas Cerquinha et Barroca, nec non linea recta ad Austrum a fontibus huius fluminis usque ad fontem fluminis Desertao. — Ad occasum tandem Reipublicae Argentinae fines attinget.

Ad ceteras autem dioeceses quod attinet, de quibus in praesentibus litteris nulla mentio facta est, nihil de earum statu et definitione immutandum nunc esse censemus. Iam

vero novas, ut praefertur, erectas Cathedrales Ecclesias huiusmodi, servata plena paritate iurium, omnibus et singulis identidem gaudere volumus honoribus, gratiis, indultis, privilegiis, favoribus, ceterisque, quibus aliae in regione Brasiliana Ecclesiae Cathedrales communi ex iure fruuntur et gaudent. Simili modo qui nomen, titulum, praeeminentiam, dignitatem et ministerium Episcopale erit habiturus, omnibus et singulis quae ordinarie Episcoporum propria sunt frui volumus et perfungi. Pariter et novarum praedictarum Dioecesium Christifideles iisdem fruantur iuribus, privilegiis atque honoribus, quibus Fideles Dioecesis cui incorporantur gaudent de iure communi. Omnes igitur et singulos Christifidelès sic ut praefertur constitutas novas dioeceses incolentes, exceptis, si qui sint, qui singulari gaudeant exemptione, una cum suis circumsitis locis, piis institutis, adnexis rebus, terris, oppidis, unaque cum iuribus realibus et personalibus ac mixtis suae cuique erectae dioecesi perpetuo addicimus et subiicimus, et addictos et subiectos fore decernimus, regendos et gubernandos ab eorum Ordinario Antistite cuius dictis semper ac prono animo erunt obsequentes. Omnia insuper monumenta, iura et documenta, quae populos incorporandos novis dioecesibus respiciunt, quaeque in praesenti in unaquaque eorundem dimittenda dioecesi asservantur, inde extrahi, et Praefecto Tabularii noviter erectae dioecesis respective quamprimum tradi iubemus, ut ipsa in Tabulario seu Archivio Episcopali pro opportunitate custodiantur et asserventur. Ad dotem autem di-

ctarum sic noviter erectarum dioecesium quod pertinet, nihil de hoc constituendum censuimus. Satis enim Nobis nota est Brasiliani populi pietas et religio in Dei gloria promovenda; confidimus propterea novis Episcopis eum non defuturum, iisdemque auxilium et adiumentum fore praestiturum, ut pastorali munere ipsi perfungi et Episcopalem dignitatem decenter valeant servare. Et quoniam maximopere interest, ut tamquam olivae fructiferae in Christi Domini agris constanter pro unaquaque dioecesi probi doctique parentur Presbyteri operam accurate navaturi tum divinis officiis et ecclesiasticis, tum animarum aedificationi, aeternaeque illarum saluti, iubemus idcirco quod in unaquaque dioecesi, cum primum fieri poterit, episcopale erigatur Seminarium, atque in alumnorum sacrorum disciplinam et profectum omnis cura et vigilantia ab Episcopis conferatur; in quo excipiantur et instituantur iuxta Tridentinae Synodi praescripta ii adolescentes, quos Episcopi ex propriae dioecesis utilitate vel necessitate censuerint esse admittendos. Ipsius seminarii Rectores, et Professores ab eodem Episcopo libere nominabuntur, et quotiescumque necessarium vel utile ab ipso iudicabitur, removebuntur. Summopere autem Nos urget, ut Sacri Antistites sedulam navent operam, quo iuventus in spem et in incrementum Ecclesiae instituenda, sacra doctrina ex Angelici Doctoris fontibus hausta imbuatur; ex voluminibus enim S. Thomae eruet unde fundamenta fidei christianae valide demonstret, veritates supernaturales persuadeat, nefarios hostium impetus a religione sanctis-

sima propulset. Demum ea omnia, quae ad Seminarii regimen, ordinationem, gubernationem, et administrationem pertinent, a Dioecesano Antistite unice pendere debere praecipimus; qui quidem Antistes suam liberam plenamque auctoritatem et ius in eo exercebit. Liberum insuper sit Episcopis ad statum clericalem et ad sacros ordines secundum ecclesiasticos canones promovere, quos necessarios aut utiles suae Dioecesi in Domino iudicaverint, et e converso quos indignos vel ineptos putaverint a susceptione ordinum arcere. Usque dum vero novus sacer Antistes in propria Cathedrali Aede cathedrali suo Capitulo careat, Vicarios consiliarios, administrationis suae adiutores constituat viros ecclesiasticos prudentes ac probos, quos plena sua fiducia dignos censuerit. Porro quisque sacer Antistes Religionem Catholicam Apostolicam Romanam sartam tectamque servare satagat, atque tueri iis cum iuribus et praerogativis, quibus ex divina et canonica ordinatione ipsa utitur et fruitur. Diligentissime propterea ipse cavebit, ac pro virili parte omnem adhibebit operam ne irrepant aut vulgentur errores fidei integritati contrarii et moribus perniciosi. Sacrorum Antistitum insuper erit publicas indicere preces, aliaque id genus pia opera, cum id bonum Ecclesiae aut status, vel populi postulet, sacras pariter supplicationes et peregrinationes decernere, funera, aliasque sacras functiones moderari, Synodum Dioecesanam convocare et celebrare, eiusque acta vulgare, servatis quoad omnia canonicis praescriptionibus. Item liberam remanere volumus novis

eisdem Episcopis idoneorum Parochorum electionem, et canonicam institutionem, servatis tamen de iure et de more servandis. Satagat insuper sacer quisque Antistes cum Sancta Apostolica Sede liberam servare communicationem, ipseque prudenter curet causas removere, quae huic possent obstare libertati. Sollicite quoque curent novi Episcopi, ut iuventuti instituendae viri catholici in Professores et Magistros praeficiantur, ac ipsa institutio sive in publicis, sive in privatis scholis ad normam doctrinae catholicae accurate exigatur. Nullam vero bonorum Ecclesiae suppressionem vel unionem, aut alienationem fieri posse decernimus absque Apostolicae Sedis auctoritatis interventu, salvis facultatibus a sacro Concilio Tridentino Episcopis tributis. Canonicam taxam in singulis Apostolicarum Litterarum solemnibus expeditionibus, quotiescumque novus Antistes cuilibet ex dictis noviter erectis Ecclesiis erit praeficiendus, in aureis de Camera florenis trigintatribus statuimus, sicque in libris Congregationis S. eiusdem S. R. E. Cardinalium Collegii inscribi, et in illius Tabulario servari praecipimus. Caeterum quae omnia res, iura, et personas ecclesiasticas respiciunt, de quibus nulla in praesentibus litteris expressa mentio facta est, rata illa omnino et firma, prout antea, volumus remanere; quod si aliqua supervenerit difficultas, ea secundum canonicas leges ad eamdem Apostolicam Sedem erit deferenda, eiusque Sedis erit difficultates expedire, diluere aut componere. Ea pariter sive ad iura, sive ad munia, sive ad res intuitu ecclesiastico pertinentia, quae in praesenti

Nostra Constitutione expressa non sunt, volumus, quod iuxta catholicae Ecclesiae doctrinam eiusque disciplinam ab Apostolica Sede admissam regulariter haberi et exerceri debeant, atque administrari. Tandem si novarum Dioecesium bonum, aut publica utilitas aliam novam in posterum exigat circumscriptionem, aut aliquam detractionem, nulla etiam adiecta territoriali compensatione, id peragendi plenam et liberam Nobis et eidem Apostolicae Sedi reservamus facultatem. Haec volumus statuimus atque sancimus, decernentes praesentes Nostras Litteras et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel quavis ex causa quantumvis iuridica, legitima et privilegiata, etiam ex eo quod causae propter quas praemissa omnia emanarunt, adductae, verificatae, et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quolibet alio substantiali, substantialissimo, ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, colore, vel praetextu, aliaque ratione vel causa, etiam tali quae ad effectum validitatis earumdem praesentium necessario foret exprimenda, notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris vel facti, vel gratiae aut iustitiae remedium impetrari, vel etiam Motu pari concesso et impetrato quempiam uti seu

se iuvari posse in iudicio et extra illud, ac easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque litteras et constitutiones Apostolicas, aut Cancellariae Apostolicae regulas editas, vel edendas minime comprehendi vel confundi, seu comprehensas aut confusas ullo modo censeri, sed semper ab illis excipi et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ita ab omnibus censeri, sicque et non alias per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes vel dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, vice-Legatos dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi potestate facultate et auctoritate iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, aut ignoranter contigent attentari. Quocirca Venerabili etiam Fratri Hieronymo Gotti Archiepiscopo titulari Petrae et Apostolico Internuntio apud Brasilianae Reipublicae Praesidem et Gubernium per ipsas praesentes committimus atque mandamus, quatenus ipse ad exequutionem praemissorum omnium et singulorum procedat, omnes et singulas ad

id ei quomodolibet necessarias et opportunas impertiendo facultates; ita etiam ut ipse Hieronymus Archiepiscopus, si omnia supradicta per se ipsum exequi non valeat, aliam personam in ecclesiastica tamen dignitate constitutam possit subdelegare. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula. « De iure quaesito non tollendo » ac Lateranensis Concilii dismembrationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque etiam in Synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis ac Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum, pro hac vice dumtaxat, Motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, ceterisque

contrariis quibuscumque. Volumus autem quod idem Hieronymus Archiepiscopus authenticum exemplar decretorum et actorum omnium quae in hanc rem edita fuerint, ad memoratam Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium rebus Consistorialibus praepositam transmittere teneatur, ut ea in eiusdem Congregationis Tabulario ad perpetuam rei memoriam custodiantur. Volumus etiam quod praesentium Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, divisionis, constitutionis, subiectionis, dismembrationis, adiudicationis, fundationis, erectionis, distractionis, attributionis declarationis, suppressionis, extinctionis, elationis, addictionis, reservationis sanctionis, statuti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo secundo, quinto calendas Maii, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS PRAEFECTVRA APOSTOLICA S. GEORGII TERRAE NOVAE
AD GRADVM ET DIGNITATEM
VICARIATVS APOSTOLICI EVEHITVR
AC PRAEFECTVRA « PLACENTIA BAY » SVPPRIMITVR

—

LEO PP. XIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quae catholico nomini, aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant, ea ut alacri seduloque studio praestemus, Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris, ex imperscrutabili divinae Providentiae consilio, licet immeriti, fungimur. Hac mente potissimum ad longo terrarum marisque tractu dissitas missiones, mentis Nostrae oculos convertimus et quas auctą Christifidelium numero florentes novimus, ad Apostolicorum Vicariatuum gradum evehere satagimus, quo inibi facilior pastoralis regiminis exercitationi via muniatur. Iam vero cum ab institutione Praefecturae Apostolicae S. Georgii Terrae Novae in regione Canadensi felices ibidem catholica religio progressus obtinuerit, ad christianae rei maius eadem in regione augmentum et decus expedire Nobis in

Domino visum est, eamdem Praefecturam ad gradum et dignitatem Vicariatus Apostolici promovere. Sed cum Praefecturae, de qua agitur, contigua existat alia Praefectura, quae « Placentia Bay » vocatur, quaeque propter eius exiguitatem Venerabili Fratri Episcopo S. Ioannis Terrae Novae in administrationem tradita invenitur, peropportunum similiter visum est, eandem Praefecturam de Placentia Bay supprimere, nonnullosque illius Praefecturae Comitatus novo huic Vicariatui adiungere et reliquos finitimae dioecesi S. Ioannis Terrae Novae aggregare. Porro omnibus rei momentis naviter, attenteque perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, quae infrascripta sunt decernenda in Domino existimavimus. Itaque Motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Praefecturam Apostolicam S. Georgii Terrae Novae in regione Canadensi in Vicariatum Apostolicum erigimus, atque instituimus, cum omnibus et singulis iuribus, privilegiisque, quae ad huiusmodi Apostolicos Vicariatus pertinent, illique S. Georgii Terrae Novae nomen adiicimus: simulque eadem Apostolica Nostra auctoritate per praesentes, Praefecturam « Placentiae Bay » nuncupatam supprimimus, atque obliteramus. Exinde decernimus ut suppressae istius « de Placentia Bay » Praefecturae, Comitatus « La Poise » et « Fortune Bay » usque ad locum « Garnisch » cui nomen, novo Vicariatui S. Georgii Terrae Novae addicantur; reliqui autem Comitatus a S. Lau-

rentio « Burin » et a « S. Irano » appellati, finitimae dioecesi S. Ioannis Terrae Novae aggregentur; ita ut novus Vicariatus S. Georgii Terrae Novae comprehendat universam regionem occidentalem insulae Terrae Novae, nempe a sinu S. Genuephae ad locum usque « Garnish » vocatum. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXVIII Aprilis MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. CARD. VANNVTELLI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS NOVO EPISCOPO PADERBONENSI
ADMINISTRATIO APOSTOLICA MISSIONVM
DVCATVS ANHALTINI CONFERTVR

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae in catholici nominis incrementum, atque in exploratam cedant Christifidelium utilitatem, ea pro supremi Nobis divinitus commissi Apostolatus officio praestare, alacri studio satagimus. Iam vero cum tu, Venerabilis Frater Paderbonensis Episcopus modo per Nos renuntiatus, ab hac Sancta Apostolica Sede expostulaveris ut tibi sicuti iam tuis in Paderbonensi sede praedecessoribus, spiritualem administrationem Ducatus Anhaltini a Sacro Consilio christiano nomini propagando omnino dependentis, conferre dignaremur; Nos omnibus rei momentis naviter attenteque perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, precibus hisce tuis annuendum libenti animo censuimus. Quae cum ita sint, peculiari te benevolentia complectentes

et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, Apostolica auctoritate Nostra, praesentium vi, te, Venerabilis Frater, administratorem Apostolicum Missionum praedicti Anhaltini Ducatus sub omnimoda a Propagandae Fidei Congregatione dependentia, eligimus, constituimus, renuntiamus, tibique omnes et singulas huiusce muneris proprias tribuimus facultates. Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos pertinet, ut te in huiusmodi administratoris Apostolici officium, liberumque illius exercitium recipiant, admittant, tibique in omnibus faveant, pareant ac praesto sint, tuaque salubria monita ac mandata reverenter excipiant, efficaciterque adimpleant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXIX Aprilis MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. CARD. VANNVTELLI

LETTRE

AUX CARDINAUX FRANÇAIS

—

LEO PP. XIII.

A NOS TRÈS CHERS FILS

LES CARDINAUX

FLORIAN, CARD. DESPREZ, Arch. de Toulouse.
CHARLES, CARD. LAVIGERIE, Arch. d'Alger et de Carthage.
CHARLES PHILIPPE, CARD. PLACE, Arch. de Rennes.
JOSEPH, CARD. FOULON, Arch. de Lyon.
BENOIT MARIE, CARD. LANGÉNIEUX, Arch. de Reims.
FRANÇOIS, CARD. RICHARD, Arch. de Paris.

NOS TRÈS CHERS FILS

Notre consolation a été grande en recevant la lettre par laquelle vous adhériez, d'un concert unanime avec tout l'Episcopat français, à Notre Encyclique, *Au milieu des sollicitudes,* et Nous rendiez grâces de l'avoir publiée, protestant avec les plus nobles accents, de l'*union intime qui relie les Evêques de France, et en particulier les Cardinaux de la Sainte Eglise, au Siège de Pierre.*

Cette Encyclique a fait déjà beaucoup de bien, et elle en fera, Nous l'espérons, davantage encore, malgré

les attaques auxquelles elle s'est vue en butte de la part d'hommes passionnés: attaques contre lesquelles, du reste, nous aimons à le dire, elle a trouvé aussi de vaillants défenseurs.

Les attaques, Nous les avions prévues. Partout où l'agitation des partis politiques remue profondément les esprits, comme il arrive maintenant en France, il est difficile que tous rendent de suite à la vérité cette pleine justice qui est pourtant son droit. Mais fallait-il pour cela nous taire? Quoi! la France souffre et nous n'aurions pas ressenti jusqu'au fond de l'âme les douleurs de cette Fille aînée de l'Eglise? La France qui s'est acquis le titre de Nation *très chrétienne* et n'entend pour rien l'abdiquer, se débat au milieu des angoisses, contre la violence de ceux qui voudraient la déchristianiser et la rabaisser en face de tous les peuples, et nous aurions omis de faire appel aux catholiques, à tous les français honnêtes, pour conserver à leur patrie cette foi sainte qui en fit la grandeur dans l'histoire? A Dieu ne plaise.

Or, nous le constations mieux de jour en jour; dans la poursuite de ce résultat, l'action des hommes de bien était nécessairement paralysée par la division de leurs forces. De là ce que nous avons dit et redisons à tous: « Plus de partis entre vous; au contraire, union complète pour soutenir de concert ce qui prime tout avantage terrestre: la Religion, la cause de Jésus-Christ. En ce point comme en tout, *cherchez d'abord le royaume de Dieu et sa justice, et le reste vous sera donné par surcroît* ».

Cette idée-mère, qui domine toute Notre Encyclique, n'a pas échappé aux ennemis de la religion catholique. Nous pourrions dire qu'ils ont été les plus clairvoyants à en saisir le sens, à en mesurer la portée pratique. Aussi, depuis ladite Encyclique, vraie messagère de paix pour tout homme de bonne volonté, qu'on en considère le fond ou la forme, ces hommes de parti ont redoublé d'acharnement impie. Divers faits déplorables récemment arrivés, qui ont attristé les catholiques et même, Nous le savons, nombre d'hommes peu suspects de partialité envers l'Église, sont là pour le prouver. On a vu clairement où veulent aboutir les organisateurs de ce *vaste complot,* comme nous l'appelions dans notre Encyclique, formé pour *anéantir en France le Christianisme.*

Ces hommes donc, saisissant, pour en venir à leurs fins, les moindres prétextes et sachant au besoin les faire surgir, ont profité de certains incidents qu'en d'autres temps ils auraient jugés inoffensifs, pour donner champ libre à leurs récriminations; montrant par là leur parti pris, de sacrifier à leurs passions antireligieuses l'intérêt général de la Nation, dans ce qu'il a de plus digne de respect.

En face de ces tendances, en face des maux qui en découlent, au grand préjudice de l'Église de France, et qui vont s'aggravant de jour en jour, notre silence Nous eût rendu coupable devant Dieu et devant les hommes. Il eût semblé que nous contemplions d'un œil impassible les souffrances de nos fils, les catholiques français. On eût insinué que nous jugions dignes d'approbation, ou pour

le moins de tolérance, les ruines religieuses, morales, civiles amoncelées par la tyrannie des sectes antichrétiennes. On nous eût reproché de laisser dépourvus de direction et d'appui tous ces français courageux qui, dans les présentes tribulations, ont plus que jamais besoin d'être fortifiés. Nous devions surtout des encouragements au clergé, auquel on voudrait, contre la nature de sa vocation, imposer silence dans l'exercice même de son ministère, alors qu'il prêche selon l'Évangile la fidélité aux devoirs chrétiens et sociaux. Du reste, n'est-ce pas toujours pour Nous une obligation pressante de parler, quoi qu'il en advienne, dès qu'il s'agit d'affirmer notre droit divin d'enseigner, d'exhorter, d'avertir, en face de ceux qui, sous prétexte de distinction entre la religion et la politique, prétendraient en circonscrire l'universalité?

Voilà ce qui Nous a déterminé, de notre entière initiative et en pleine connaissance de cause, à élever la voix; et Nous ne cesserons de l'élever, chaque fois que Nous le jugerons opportun, avec l'espoir que la vérité finira par se frayer un chemin jusque dans les cœurs qui lui résistent, peut-être avec un reste de bonne foi. Et comme le mal que Nous signalons, loin de se limiter aux catholiques, atteint tous les hommes de sens et de droiture, c'est à eux aussi que Nous avons adressé notre Encyclique, pour que tous se hâtent d'arrêter la France sur la pente qui la mène aux abîmes. Or, ces efforts deviendraient radicalement stériles, s'il manquait aux forces conservatrices l'unité et la concorde dans la poursuite du

but final, c'est à dire la conservation de la religion, puisque là doit tendre tout homme honnête, tout ami sincère de la société: notre Encyclique l'a amplement démontré.

Mais le but une fois précisé, le besoin d'union pour l'atteindre une fois admis, quels seront les moyens d'assurer cette union?

Nous l'avons également expliqué et Nous tenons à le redire, pour que personne ne se méprenne sur notre enseignement: un de ces moyens est d'accepter sans arrière-pensée, avec cette loyauté parfaite qui convient au chrétien, le pouvoir civil dans la forme où, de fait, il existe. Ainsi fut accepté en France le premier Empire, au lendemain d'une effroyable et sanglante anarchie; ainsi furent acceptés les autres pouvoirs, soit monarchiques soit républicains, qui se succédèrent jusqu'à nos jours.

Et la raison de cette acceptation, c'est que le bien commun de la société l'emporte sur tout autre intérêt; car il est le principe créateur, il est l'élément conservateur de la société humaine; d'où il suit que tout vrai citoyen doit le vouloir et le procurer à tout prix. Or, de cette nécessité d'assurer le bien commun, dérive comme de sa source propre et immédiate, la nécessité d'un pouvoir civil qui, s'orientant vers le but suprême, y dirige sagement et constamment les volontés multiples des sujets, groupées en faisceau dans sa main. Lors donc que, dans une société, il existe un pouvoir constitué et mis à l'œuvre, l'intérêt commun se trouve lié à ce pouvoir, et l'on doit, pour cette raison, l'accepter tel qu'il est. C'est pour ces

motifs et dans ce sens que Nous avons dit aux catholiques francais: Acceptez la République, c'est à dire le pouvoir constitué et existant parmi vous; respectez-le; soyez-lui soumis comme représentant le pouvoir venu de Dieu.

Mais il s'est trouvé des hommes appartenant à divers partis politiques, et même sincèrement catholiques, qui ne se sont pas exactement rendu compte de Nos paroles. Elles étaient pourtant si simples et si claires qu'elles ne pouvaient donner lieu, semblait-il, à de fausses interprétations.

Qu'on veuille bien y réfléchir, si le pouvoir politique est toujours de Dieu, il ne s'en suit pas que la désignation divine affecte toujours et immédiatement les modes de transmission de ce pouvoir, ni les formes contingentes qu'il revêt, ni les personnes qui en sont le sujet. La variété même de ces modes dans les diverses nations, montre à l'évidence, le caractère humain de leur origine.

Il y a plus. Les institutions humaines les mieux fondées en droit et établies dans des vues aussi salutaires qu'on le voudra, pour donner à la vie sociale une assiette plus stable et lui imprimer un plus puissant essor, ne conservent pas toujours leur vigueur conformément aux courtes prévisions de la sagesse de l'homme.

En politique plus qu'ailleurs, surviennent des changements inattendus. Des monarchies colossales s'écroulent ou se démembrent, comme les antiques royautés d'Orient et l'Empire romain; les dynasties supplantent les dyna-

sties, comme celles des Carlovingiens et des Capétiens en France; aux formes politiques adoptées d'autres formes se substituent, comme notre siècle en montre de nombreux exemples. Ces changements sont loin d'être toujours légitimes à l'origine; il est même difficile qu'ils le soient. Pourtant le *criterium* suprême du bien commun et de la tranquillité publique, impose l'acceptation de ces nouveaux gouvernements établis en fait, à la place des gouvernements antérieurs qui, en fait, ne sont plus. Ainsi se trouvent suspendues les règles ordinaires de la transmission des pouvoirs, et il peut se faire même qu'avec le temps elles se trouvent abolies.

Quoi qu'il en soit de ces transformations extraordinaires dans la vie des peuples, dont il appartient à Dieu de calculer les lois, et à l'homme d'utiliser les conséquences, l'honneur et la conscience réclament, en tout état de choses, une subordination sincère aux gouvernements constitués; il la faut au nom de ce droit souverain, indiscutable, inaliénable, qui s'appelle, la raison du bien social. Qu'en serait-il, en effet, de l'honneur et de la conscience, s'il était permis au citoyen de sacrifier à ses visées personnelles et à ses attachements de parti, les bienfaits de la tranquillité publique?

Après avoir solidement établi dans Notre Encyclique cette vérité, Nous avons formulé la distinction entre le pouvoir politique et la législation; et Nous avons montré que l'acceptation de l'un n'impliquait nullement l'acceptation de l'autre, dans les points où le législateur,

oublieux de sa mission, se mettrait en opposition avec la loi de Dieu et de l'Église. Et, que tous le remarquent bien; déployer son activité et user de son influence pour amener les gouvernements à changer en bien des lois iniques ou dépourvues de sagesse, c'est faire preuve d'un dévouement à la patrie aussi intelligent que courageux, sans accuser l'ombre d'une hostilité aux pouvoirs chargés de régir la chose publique. Qui s'aviserait de dénoncer les chrétiens des premiers siècles comme adversaires de l'Empire romain, parce qu'ils ne se courbaient point devant ses prescriptions idolâtriques, mais s'efforcaient d'en obtenir l'abolition?

Sur le terrain religieux ainsi compris, les divers partis politiques conservateurs peuvent et doivent se trouver d'accord. Mais les hommes qui subordonneraient tout au triomphe préalable de leur parti respectif, fût-ce sous le prétexte qu'il leur parait le plus apte à la défense religieuse, seraient dès lors convaincus de faire passer, en fait, par un funeste renversement des idées, la politique qui divise avant la religion qui unit. Et ce serait leur faute, si nos ennemis exploitant leurs divisions, comme ils ne l'ont que trop fait, parvenaient finalement à les écraser tous.

On a prétendu qu'en enseignant ces doctrines, Nous tenions envers la France une conduite autre que celle que Nous suivons à l'égard de l'Italie; de sorte que Nous Nous trouverions en contradiction avec Nous-même. Et cependant il n'en est rien. Notre but, en disant aux catholiques français

d'accepter le gouvernement constitué, n'a été et n'est autre encore que la sauvegarde des intérêts religieux qui Nous sont confiés. Or ce sont précisément ces intérêts religieux qui Nous imposent, en Italie, le devoir de réclamer sans relâche la pleine liberté requise pour Notre sublime fonction de Chef visible de l'Église Catholique, préposé au gouvernement des âmes; liberté qui n'existe pas, là où le Vicaire de Jésus-Christ n'est pas chez lui, vrai Souverain, indépendant de toute souveraineté humaine. Que conclure de là, sinon que la question qui Nous concerne en Italie, elle aussi, est éminemment religieuse, en tant que rattachée au principe fondamental de la liberté de l'Église? Et c'est ainsi que, dans Notre conduite à l'égard des diverses nations, Nous ne cessons de faire converger tout au même but: la religion et par la religion le salut de la société, le bonheur des peuples.

Nous avons voulu, Nos très chers Fils, vous confier toutes ces choses, pour soulager Notre cœur et conforter en même temps le vôtre. Les tribulations de l'Église ne peuvent manquer d'être très amères pour l'âme des Évêques et plus encore pour la Nôtre, puisque Nous sommes le Vicaire de Celui qui donna, pour la formation de cette Sainte Église, tout son sang. Ces amertumes cependant, loin de nous abattre, nous stimulent à nous armer d'un plus grand courage, pour faire face aux difficultés de l'heure présente. Il en résulte aussi, pour Nous, un redoublement de zèle en faveur de cette France catholique, d'autant plus digne de Notre affection pater-

nelle, qu'elle sollicite de Nous, avec une confiance plus filiale, encouragement, protection et secours.

Ces sentiments sont aussi les vôtres, Nos très chers Fils: vous venez de Nous en donner la preuve, et Nous avions déjà pu Nous en convaincre quand vous veniez près de Nous, les uns après les autres, Nous rendre compte de votre ministère et conférer des intérêts sacrés dont Nous avons la garde. Parmi les motifs de confiance qui Nous réjouissent, cette unanimité est certes l'un des plus puissants, et Nous en remercions Dieu du fond de l'âme. Nous comptons sur la continuation de votre empressement à seconder Nos paternelles sollicitudes pour ce cher pays de France. Et dans cette assurance, comme gage de Notre affection, Nous vous donnons, Nos Très chers Fils, à vous, à votre Clergé, et aux fidèles de vos Diocèses, avec toute l'effusion de Notre cœur, la Bénédiction Apostolique.

Donné à Rome, le 3 Mai de l'année 1892, de Notre Pontificat la quinzième.

LEO PP. XIII.

INSTRVCTIO

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
SVPER SCHOLIS NONNVLLIS ARCHIDIOECESIS S. PAVLI
DE MINNESOTA

—

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
STATVVM FOEDERATORVM AMERICAE SEPTENTRIONALIS

Illme et Rme Domine

Amplitudo Tua probe noscit ardenti studio nuper in ista Statuum Foederatorum Republica quaestionem de catholicae iuventutis institutione agitatam fuisse. Huiusmodi disceptationi occasionem praebuit quaedam Conventio ab Archiepiscopo S. Pauli inita quoad duas Scholas parochiales in pagis *Faribault* et *Stillwater* existentes.

Compertum sane est, Sanctam Sedem omni tempore maxima sollicitudine invigilasse ut salutari doctrina iuventus imbueretur atque a noxiis arceretur pascuis; atque haec ipsa S. Congregatio, oculos suae vigilantiae ad istam regionem iampridem convertens, Instructionem inde ab anno 1875 edendam curavit, quae de publicis scholis agebat. Cui adhaerentes Patres tertii Concilii Plenarii Bal-

timorensis in id omnem curam impenderunt, ut iuventutem catholicam ab omni vitiorum et erroris labe incolumem servarent et a periculis educationis principiis fidei et morum haud informatae defenderent. Quapropter prudentissime statuerunt ut in singulis Dioecesibus unamquamque prope ecclesiam scholae erigerentur, in quibus catholicorum soboles sub ecclesiasticorum Pastorum auctoritate et directione non minus litteris ingenuisque artibus quam religione et bonis moribus imbueretur. Porro nonnulli sapientissima haec statuta prae oculis habentes, rati agendi rationem Archiepiscopi S. Pauli in memoratis duobus casibus cum illis conciliari haud posse, reprehendere illam non dubitarunt; dum alii e contra ceu gravibus innixam rationibus probandam, et nihil per eam his decretis derogatum fuisse iudicarunt. Acriter hinc inde contentio exarsit: etiam per publicas ephemerides, quod valde dolendum, ardenter quaestio ventilata fuit, nec concors et unanime Episcoporum iudicium hac de re extitit. Quod quum religionis bono, Ecclesiae decori et optatissimae aeque ac necessariae inter sacrorum Antistites concordiae, in qua pax gregum ipsis commissarum solidatur, quam plurimum obesse iuste timeri posset, Sancta Sedes opportunum duxit rem ad se avocare diiudicandam, suaque sententia disputationibus finem imponere. Huius autem negotii examen quibusdam ex Emis PP. S. Consilio Christiano Nomini Propagando praepositis demandatum fuit, qui in Comitiis habitis die 21 Aprilis huius anni, matura ac diligenti investigatione instituta, ea quae ab Archie-

piscopo S. Pauli peracta sunt, omni sub respectu perpendentes, attentis peculiaribus adiunctis nec non modo et pactis quibus conventio inita fuit, sequens edendum censuerunt Decretum, eadem die a Summo Pontifice approbatum: « Firmis in suo robore manentibus Decretis « Conciliorum Baltimorensium super scholas parochiales, « conventio inita a R. P. D. Ioanne Ireland relate ad « scholas de Faribault et Stillwater, perpensis omnibus « circumstantiis, tolerari potest ». Hanc autem occasionem nacti Emi Patres enixe Venerabilibus Statuum Foederatorum Episcopis commendarunt ut pergerent, quemadmodum praestitum fuerat hucusque, eo concordi studio salutem animarum sibi commissarum et bonum religionis procurare, quo tot meritis suum in christiana republica nomen, Deo iuvante, iam honestarunt. Sane haec animorum viriumque coniunctio eo vel magis firmanda et custodienda est, quo magis, uti nunc contingit, errores impune grassantur, cum pluribus hostibus dimicandum, ac innumerae difficultates et obstacula superanda undique extant.

Emi Patres item voluerunt ut in Comitiis quae primo inter Statuum Foederatorum Archiepiscopos locum habebunt, iidem diligentissime de ratione cognoscant, qua quamplurimis catholicis pueris, qui secundum computos fide dignos scholas publicas loco parochialium adeunt, prospici queat.

Cum vero pastoralis sollicitudo et impensum religionis studium, quo Antistites istius amplissimae ditionis fe-

runtur, Sacrae Congregationi apprime perspectum sit, eadem pro certo habet omni ope ipsos adnisuros ad aptissima remedia invenienda, quibus hisce malis efficaciter occurratur. Item nullatenus dubitat quin pro filiali veneratione qua Apostolicam Sedem prosequuntur, iidem, quavis submota animorum dissensione, ad catholicum nomen tutandum et augendum, concordi voluntate et consentientibus animis, constanter adlaborent.

Interea omnia Tibi fausta a Deo ex animo precor.

Datum Romae ex Aed. S. C. Propagandae Fidei die 3 Maii 1892.

Amplitudinis Tuae

Addictissimus Servus
M. Card. LEDOCHOWSKI *Praefectus*

† Ignativs Archiep. Tamiathen. *Secretarius*

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

VICTORI IOSEPHO EPISCOPO LEODIENSI

LEODIVM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Facile tibi intellectu est, nullum fere esse solatii genus quod magis allevet dolorem Nostrum ex hac tristi temporum calamitate perceptum, quam studia fidelium ad colendum conversa rogandumque aeternum Ecclesiae Pastorem, maxime in eo Sacramento augusto quod ipsum nobis praesentem exhibet, gregisque sui precibus excipiendis paratum. Quare vehementer delectati sumus litteris a te datis die VIII calendas Maias, nomine Comitatus permanentis qui curat indici pararique catholicorum virorum coetus quibus nomen est ab operibus eucharisticis. Perspeximus namque ex iis litteris, septem conventibus hucusque actis in variis Europae urbibus octavum addendum fore eo qui proxime sequetur anno, sedemque illi esse Ierusalem designatam. Id enimvero et sapienter cogitatum

arbitramur et commodissime factum iri. Nullus enim dignior locus huius celebritate conventus prae ea civitate sancta, ubi Christus Dominus mirum illud amoris sui pignus instituit, et perampla utilitas erit merito expectanda ex novo pietatis stimulo, ad cultum provehendum Sacramenti omnium sanctissimi, fidelibus Orientis admoto. Persuasum autem Nobis est, omnes qui illuc convenerint vel conventui adfuerint, nihil enixius petituros a Deo quam ut ceteros, qui in iis regionibus, licet seiuncti a Nobis, christiano nomine censentur, integra unitate fidei et perfecta Nobiscum caritate coniungat. Ceterum quod postulas ut pro octavo hoc conventu Hierosolymis agendo eadem largiamur spiritualia lucra ex Ecclesiae thesauris hausta quae indulsimus iis qui ante biennium simili coetui Antuerpiae interfuere, ceterisve fidelibus eiusdem occasione conventus, id et nunc pariter sub iisdem conditionibus benigne concedimus. Interim Deum adprecati ut nobile inceptum, piasque curas memorati comitatus et tuas favore suo et effusa gratiarum ubertate fortunet, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, dilectis filiis qui in eo coetu sunt, cunctoque clero et populo tuae vigilantiae concredito peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Maii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

CAROLO WOEST

BRVXELLAS

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gnarum tibi est, dilecte fili, nihil Nobis contingere optatius quam ut catholici viri collatis studiis iunctisque viribus contendant causam iustitiae et religionis tueri. Quare ambigere nequis, quin pergratas habuerimus litteras quibus Nos docebas de generali conventu, quem post alios ter et vicies actos Circuli catholici et Societates conservatrices Belgicae Hui nuper habuerunt. Gavisi autem sumus, curas et studia coetus, cui praefuisti, eo etiam fuisse conversa ut leniantur mala parta ex conflictu quo cum pecuniosis hominibus operarii concertant, vobisque propositum et constitutum esse conniti alacriter ut praecepta et consilia serventur Nostris explicata litteris encyclicis, idibus Maiis anno superiore datis, vestrique cives ceteri in idem studium perducantur. Itaque dum merita orna-

mus laude fidem, pietatem et constantiam tuam eorumque qui, te praeside, congressi sunt in unum, vehemens reticere nolumus desiderium quo tenemur ut quotquot sunt cordati viri in hac regione vestra, quibus patriae decus, pax et incolumitas cordi est, sese vobis addant socios ad perniciem avertendam, quam publicis privatisque rebus effrena vecordium hominum cupiditas minatur. Interea rogantes Deum ut volens propitius consiliis faveat et inceptis vestris, tibi aliisque dilectis filiis, qui tecum coetui praedicto adfuere, benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Maii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

CHALCEDONIO MANCINI

PRESBYTERO E CONGREGATIONE MISSIONIS

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Rituum sacrorum doctrinae multum Nos, proinde ac digna est, semper tribuimus, eiusque et studium omni ope excitare et studiosis bonam largiri laudem consuevimus. Cuius rei inde ab episcopatu perusino grata Nobis ad hoc tempus subit recordatio: qui etiam non semel per occasionem ediximus, optare Nos et velle ut haec ipsa disciplina, in romano praecipue clero, ad maiorum praestantiam, cognitione usuque, contenderet; ob eamque causam velle Nos admodum ut romana Academia liturgica et numero celebrantium et industria floreret. Res enim est eiusmodi, quae se ipsa commendet vel maxime: siquidem tota cohaeret cum veritate catholica, quam legitimi ritus exprimunt et illustrant: tum etiam ad sacra mysteria decore sancteque tractanda, ad mentes intuentium in di-

vina erigendas, ad fidem in animis et caritatem alendam plurimum valet; neque vero, propter magnam cum vetustate necessitudinem, pia quadam caret ad colendum iucunditate. — Itaque, dilecte fili, oblatum a te Nobis munus, *Ephemerides liturgicae*, voluminibus quinis compactae, accidit sane gratissimum: in quo utrumque agnovimus, et filii pietatem, praeferentis libamentum quoddam eius laetitiae quam Nobis, ob annum episcopalis honoris quinquagesimum, a Conservatore vitae speramus, et viri docti sollertiam, quo auctore et moderatore, eaedem ephemerides menstruae, secundo cursu, annum sunt iam sextum ingressae. Harum nempe instituta ratio comprobationem merito habet prudentum; quippe quae, variis in eo genere praescriptis Ecclesiae responsisque doctorum expositis, suis ex aequo ponderatis opinionum momentis, alumnorum praeterea eiusdem Academiae atque externorum admissis quaestiunculis, utilitatis multum sacro ordini afferre possint, attulerint, tamquam a capite rivi propiores. Tibi igitur recte est cur laeteris in Domino, non minus de suscepto consilio, quam de re effecta, idemque a Nobis iustam habeas laudem, quod praeclarissimo exemplo Vincentii Patris te dignum praebueris. Eius namque ardor divinae gloriae, qui ad plurimorum salutem mirifice patuit, quique multis operum modis perennat in filiis, hoc etiam ornatur promerito quod in custodiendis religiosissime caeremoniis formandisque rite ad eas sacrorum alumnis continetur. — Iamvero pergite, tu, dilecte fili, tuique in scribendo socii, pergite, ut facitis, tam bene

de religione mereri, atque operam Nobis vestram summo in Ecclesiam obsequio probare. Quo autem et vobis plus quotidie suppetat virium, et ad plures, quod rei liturgicae optandum, vestrorum fructus laborum late pertineant, Apostolicam benedictionem tibi sociisque effusa caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Maii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE INDVLGENTIA « TOTIES QVOTIES »
DIE FESTO DEIPARAE VIRGINIS DE MONTE CARMELO
A CHRISTIFIDELIBVS LVCRANDA

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quo magis fidelium erga beatissimam Virginem Carmelitidem devotio augescat et pietas, unde eorum animis uberrimi et salutiferi fructus derivare possunt, piae postulationi dilecti filii Aloisii Mariae Galli, summi moderatoris Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Veteris Observantiae benigne inclinati, peculiari privilegio Carmelitanas Ecclesias locupletare statuimus. Quapropter de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui quamlibet ex Ecclesiis vel quodlibet ex publicis Oratoriis sive Fratrum sive Monialium universi Ordinis Carmelitidis tum Calceatorum tum Excalceatorum ubique locorum existentibus, die decimasexta mensis Iulii cuiusque anni, qua festivitas Deiparae Virginis de Monte Carmelo

celebratur, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint, toties Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVI Maii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. CARD. VANNVTELLI

L. ✠ S.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ALBERTO FARGES SACERDOTI
E SODALITATE SVLPITIANA
PARISIOS

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Primitias ingenii sollertiaeque tuae, *Etudes philosophiques*, dono a te Nobis in morem filii missas, acceptas quidem habuimus, et paternam de iis voluntatem Nostram, litteris ad te datis, placuit declarare. Nobis enimvero, qui ab initio muneris Apostolici id etiam contendimus ut disciplinas maiores ad certam veterum rationem, auctore Thoma Aquinate, revocaremus, optati exitus laetitia in dies augescit, ex fructuum copia quos videmus late optimos provenire. In quo a tua quoque sodalitate, proprieque a te, dilecte fili, est causa oblata laetandi, qui praescriptis Nostris religiose obsecutus, iamdiu iuventute edocenda, nunc praeterea scriptis edendis, impense curas ut veteri optimorum philosophiae, quatenus in observatione et cogni-

tione naturae versatur, suum vindices decus, eamque convenire plane cum perpetua rei physicae progressione convincas. Laudabile per se patet consilium quod es in primis molitus, et recta sane, quam instituisti, ad assequendum via. Quando enim pro saeculi arrogantia multi multa superiorum aetatum fastidio habent et vituperant quae ne noverunt quidem, utique oportebat doctrinam Aristotelis et sancti Thomae ex ipsis fontibus sinceram te petere, quam dilucido ordine perspicuaque expositione deductam, in vulgus quodammodo commendares: ea vero quae in illam arguerent, tamquam cum inventis pugnantia ratisque legibus recentiorum, aequum erat, rebus et causis utramque in partem expensis, infirmari a te singula et refelli. Hac tibi via gradienti certum erit perfectumque propositum, aristoteléae nimirum philosophiae, Angelico Doctore interprete, fundamenta constare firma, ex iisque verissimam doctrinae rationem etiamnum existere, quae maxime omnium omni in genere valeat et proficiat. — Intelligimus quidem, dilecte fili, rem te suscepisse diuturni laboris nec exigui: at iubemus confirmare te animum, hoc persuaso, neque vires tibi rei pares deesse, et solidam inde utilitatem redundare posse, tum iis qui disciplinis sacris, tum iis largius qui physicae cognatisque studiis dant operam, quos dolendum vel praeiudicata opinione vel caligine materiae crassa tam multos a veritate deflectere. Ad haec, honesto fuerit tibi incitamento eruditorum hominum gratia, quam editis adhuc scriptis es meritus, eo scilicet meriturus ampliorem, quo studiosius

opus tuum, tantis usus magistris, institeris. Quae quidem gratia quoniam, ut pie fateris, non ita te capit et movet, nisi accesserit Nostra, te ideo tuaque studia omni Nos benevolentia complectimur, tibi pariter ac bonis disciplinis optantes ut consilia tua eveniant omnia feliciter. Huius autem voluntatis Nostrae ut pignus habeas, atque incrementa simul quae expetis divinae opis, Apostolicam benedictionem tibi et sodalibus alumnisque tuis ex animo impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Maii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS

GVLIELMO ALLIATA ET PHILIPPO TOLLI

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Id sane optime institutum, iuvenes catholicos consilia inter se viresque sacro foedere consociare, quo possint et sibi, adverso virtuti tempore, melius consulere, et debita Ecclesiae officia alacriore praestare operâ, fronte non timida. Quae quidem iam rite probata Societas, a Nobismetipsis non semel commendata, palam est quam bene adhuc utiliterque processerit, in Italia praesertim, unde ad exteras gentes feliciter explicata pervasit. — Nuper autem a vobis accepimus, dilecti filii, cum anno quinquagesimo, plenum si concesserit Deus, muneris Nostri episcopalis, annum prope concurrere vicesimum quintum ab ipsa condita catholicae iuventutis italae Societate; eâ vos de causa duplicatas cogitare laetitias, opportuneque velle Societatis nervos intendere, vires augere. Ad Nos quod attinet, candidae pietati vestrae habemus gratiam; de vobis

autem, gratulamur pro merito utrique, et qui eidem Societati praees, et qui praees decuriae singularibus illis curandis laetitiis. Scilicet delectamur ea repetendo quae ab istis militibus Christi bonis, vel acie instructa vel catervatim, per lustra iam quinque sunt facta egregie: eoque magis solantur animum quae vos, omnium nomine, erga hanc Petri Cathedram sancte pollicemini, fidem, obsequium, pietatem, quam fieri possit, amplissima. — Exoptatae laetitiae et communia vota, adspirante Deo, succedant: atque ex itala iuventute in qua religioni et civitati tanta spes alitur, multi Societati vestrae dent nomen, dent operam; omnesque in suo quisque officio, cum iusta ad sacros Antistites observantia, integre et studiose versentur. Haec omnia Apostolica benedictio confirmet, quam vobis, dilecti filii, atque universis et singulis in Societatem adlectis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Maii MDCCCXCII. Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPO ET EPISCOPIS
PROVINCIAE ECCLESIASTICAE NEO-EBORACENSIS

—

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae coniunctim a vobis perscriptae sunt litterae ex aede Archiepiscopali Neo-Eboracensi, quo coivistis consecrationi Brooklyniensis Episcopi adfuturi, duplici Nos voluptate affecerunt. Patebat enim ex iis animus vester cum de religiosa puerorum institutione sollicitus, tum effundendi cupidus dubitationes et anxietates suas in gremium Nostrum, semper ad eas benigne excipiendas paratum. Ne quid itaque vestris haereret mentibus quod anxias illas et incertas efficeret, datis vicissim litteris vos adire decrevimus: hasce autem non modo nuncias esse volumus paternae erga vos caritatis Nostrae, sed etiam testes sollicitudinis quam gerimus de fidelibus amplissimam incolentibus regionem foederatarum civitatum Americae Septentrionalis, quae propter incrementa, quibus se istic explicat catholica religio, et praesens Nobis gaudium af-

fert, et rerum laetiorum in posterum expectationem. Plane haec sollicitudo Nos curae expertes esse non sivit inter controversias et disputationes nuper istic ortas et animis incalescentibus actas propter conventionem initam inter Venerabilem Fratrem Archiepiscopum S. Pauli et civiles magistratus circa duas e pluribus scholis paroecialibus, quas ille considerat multo cum studio in credita sibi dioecesi. In huius miserae concertationis aestu mirum non est si falsa nonnunquam nunciarentur pro veris et quae suspiciose cogitata fuerant vulgi rumore percrebrescerent. Haec equidem graviter molesteque tulimus; nisi enim tempestive eo cura Nostra conversa fuisset, verendum erat ne intercideret vel magna ex parte deficeret perfecta animorum consensio studiorumque communium in unum conspiratio, quam sedulo retineant oportet sacrorum Antistites et Nos fovere adnitimur quavis ratione et ope. Propterea memores officii Nostri quod postulat ut in disceptatione causarum, quarum notio et iudicatio ad Nostrum pertinent ministerium, cuncta sedate expendamus et procul omni partium studio, animum ita comparatum causae cognoscendae applicuimus, quam praelaudatus Archiepiscopus Nobis definiendam attulit, profitens se prompte et omnino pariturum sententiae Nostrae, quaecumque demum ea foret, quae sane protestatio in ipsius laudem cedit et a Nobis non poterat vehementer non probari. Quum porro naviter dederimus operam ut plenissime Nobis factorum veritas fieret explorata, recteque aestimaretur rationum pondus quae utrinque afferebantur, constituto

peculiari coetu Patrum Cardinalium ex iis delecto quibus sacrum Consilium constat christiano nomini propagando, qui sese huic studio addixit diligentia singulari, propositam quaestionem eo responso dirimendam censuimus quod dilectus filius Noster Cardinalis eidem sacro Consilio praefectus iussu Nostro patefieri curavit ecclesiarum Praesulibus quae in civitatibus foederatis sunt Americae Septentrionalis. Quo pressius autem illud urgeamus quod animos vestros angebat, vosque ad scribendum permovit, certiores vos fieri volumus, neminem in hoc iudicio suspicionem Nobis iniecisse timendum fore ne infesta aliqua vexatio catholicis impenderet si ea quae gesta fuerant ab Archiepiscopo S. Pauli circa scholas in oppido sitas *Faribault* et *Stillwater* a Nobis essent improbata. Quum neque idem Venerabilis Frater, nec alius quilibet huius periculi mentionem fecerit, liquet ex mendaci vulgi rumore famam esse obortam quae vos in inanem prorsus et falsam opinionem adduxit. Nos enimvero ad huiusce causae cognitionem iudiciumque animum attulimus probe memorem studiosumque decretorum quae, praemonente hac Apostolica Sede, in Synodis Baltimorensibus super scholis paroecialibus conscita sunt. Haec quidem constanter servari volumus; quoniam vero hoc cunctis inest legibus generalibus ut, siquid singulare eveniat nec opinatum, factum tolerari queat, suadente aequitate, quod nonnihil a verbo legis recedat, facile comperimus casum hunc incidisse; proinde moderatione ac prudentia duce, potiusquam legis rigore, rem de qua agebatur iudicandam esse rati sumus.

Ceterum inter sacros vestrae regionis Antistites, quos huius Sanctae Sedis observantissimos novimus et experti sumus quum ad Nos accederent, quispiam numquam, nemine prorsus excepto, visus est ambigere de doctrina ab ea tradita circa scholas in quibus catholicos pueros institui oportet. Una scilicet omnium sententia est negantium scholas probari posse *neutras,* nempe religionis expertes, sed unanimiter *confessionales* adserunt, prout in regionibus evenit quas acatholicis permixti fideles incolunt; scholas nimirum in quibus pueri religionem rite docentur ab iis quos huic magisterio pares Episcopi agnoverint. Praestat itaque, Venerabiles Fratres, ut una cum ceteris dioecesium Praesulibus regionis istius connitamini consiliis studiisque paribus ne pueri catholici eos celebrent litterarios ludos in quibus religiosa eorum institutio praetermittitur, apertumque imminet mores pervertendi discrimen. Quare vehementer optamus, prout vobis significatum est per sacrum Consilium christiano nomini propagando, ut in proximis Episcoporum conventibus sedulo deliberetis de rationibus ineundis quae huic fini assequendo potissime conferant. Cupimus praeterea vos enixe contendere ut qui summae rei praesunt in civitatibus singulis, probe agnoscentes nihil esse ad salutem rei publicae religione praestantius, sapientium legum latione prospiciant, ut docendi ministerium, quod publicis sumptibus adeoque collatis etiam catholicorum opibus exercetur, nihil habeat quod eorum conscientiae officiat aut religionem offendat. Nobis enim persuasum est cives quo-

que vestros qui a Nobis dissident, pro ea qua praestant ingenii vi et prudentia, facile abiecturos suspiciones opinionesque Ecclesiae catholicae infensas, ultroque agnituros eius merita quae, ethnica barbarie per evangelii lumen depulsa, novam progenuit societatem, christianarum virtutum decore omnique cultu humanitatis insignem. Hisce autem perspectis, passurum esse neminem istic putamus, ut catholici parentes cogantur ea condere tuerique gymnasia et scholas, quibus uti nequeant ad filios suos instituendos. Interim eo reversi unde digressi sumus, fore confidimus ut perlectis litteris hisce Nostris, nil triste aut tetricum in animis vestris resideat quod iis vel levem nubeculam offundat. Certum imo Nobis est arctius in dies vos devinctum iri perfectae caritatis nexibus cum ceteris Venerabilibus Fratribus, quos vobiscum communis patriae nomen, pastoralis ministerii consortio et par in omnes benevolentia Nostra coniungit. Sit vobis cor unum et anima una, auctisque concordia viribus pergite adlaborare alacriter ad gloriam divini nominis et animarum salutem. Quo vero uberior ex laboribus vestris fructus promanet, propitiam vobis adprecamur Omnipotentis opem, eiusque in auspicium Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII Maii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS SEDES EPISCOPALIS SEBASTENA
ARCHIEPISCOPALI TITVLO TANTVM PRO NVNC AVGETVR
EIDEMQVE ECCLESIA TOKATENSIS AEQVE PRINCIPALITER VNITVR

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quod ab Episcopis Armeniis, qui in hac Alma Urbe anno MDCCCLXVII convenerunt cum ageretur de confirmanda electione Patriarchae Antonii Petri X propositum fuit, et sequenti anno a fel. rec. Pio PP. IX decessore Nostro probatum, ut scilicet in Synodo Constantinopoli habenda, ageretur de Episcopali Hierarchia rite ordinanda et Metropoliticis sedibus constituendis, hoc demum factum est in Synodo Chalcedone habita anno MDCCCXC, in qua datis Synodalibus litteris, Metropolitica dignitate ac iuribus augendae sedes, designatae fuerunt, rei exsecutione in futuram Synodum post sex annos celebrandam, amandata. Interim vero cum altera ex propositis, uti supra, sedibus

scilicet Sebastena vacaverit, iidem Venerabiles Fratres Episcopi in Synodum convenientes, in qua de Praesule illi praeficiendo actum est, a Nobis humiliter postulaverunt, ut interim memoratam sedem Archiepiscopali titulo augeremus, Metropoliticae vero potestatis et iurium concessione, ut supra, dilata. Cum autem Sebastenus Episcopus nonnullis abhinc annis Tokatensem Ecclesiam administratorio titulo regat, iidem Episcopi similiter enixas Nobis preces adhibuere, ut Tokatensem Sebastenae aeque principaliter unire dignaremur, idque in utilitatem animarum cessurum testati sunt. Nos autem omnibus rei momentis attente ac sedulo perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi Propagandae Fidei pro negotiis ritus Orientalis praepositis, huiusmodi votis ac Synodali petitioni Venerabilium Fratrum Patriarchae Ciliciensis et Episcoporum Armeniorum annuentes, Motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Episcopalem sedem Sebastenam Armenorum, Archiepiscopali titulo tantum pro nunc decoramus, eidemque Tokatensem aeque principaliter unimus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus

et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die xxx Maii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

GVLIELMO RENATO ARCHIEPISCOPO TVRONENSI

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Non levem cepimus voluptatem ex litteris tuis, die xx superioris Maii mensis datis, in quibus illud Nobis iucundissimum fuit quod ostenderent, te in eo tristi dissensu, quo plures Gallici fideles distrahuntur, ea sentire et sequi quae placere Nobis ea super re declaravimus, pensumque habere studium Nostrum, quo tum religionis bono tum saluti et prosperitati praenobilis gentis tuae prospicere adnitimur. Ex quo sequitur ut curam omnem, velut testaris, operamque conferas quo magis tuos inter cives concordia vigeat, omnesque ea libenter peragant quae pro temporis ratione docuimus praestari oportere. Dum itaque egregiam voluntatem et zelum tuum merita ornamus laude, certa tenemur fiducia fore ut ea, quam iniisti, via fideliter et constanter gradiaris, tuaeque patriae non minus quam Ecclesiae plurimum tua proficiat constantia et se-

dulitas. Deum interea rogantes, ut conatus tuos adiuvet ope potenti, iisque prosperos det successus, Apostolicam benedictionem, testem dilectionis Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, clero et fidelibus tuae vigilantiae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Iunii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS CERTA HONORIS INSIGNIA CANONICIS
MANSIONARIIS ET ARCHIPRESBYTERIS FOROLIVIENSIBVS
CONCEDVNTVR

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quod est in more positum, institutoque Pontificum Maximorum, peculiaria dignitatis insignia iis decernimus Sacrorum administris, qui in templis vetustate, monumentis et fama praeclaris cultus officia et munera obeunt, ut siquidem eiusdem cultus splendor augeatur, illi vero externa decora adepti internis virtutibus sese studeant exornare. Quamobrem cum Venerabilis Frater Dominicus Svampa Episcopus Foroliviensis nonnulla honoris ornamenta pro Canonicis, Mansionariis et Archipresbyteris suae Cathedralis Ecclesiae Nos flagitaverit, supplicesque in id litteras ad Nos dederit, eius optatis et votis annuendum censuimus. Id vero eo libentiori animo facimus, quod Nobis omnino ignota non sunt vetera religionis et pietatis monumenta, quae Ecclesiae Foroliviensis memoriam illustrant. Praeter enim particulam SS. Crucis Domini Nostri Iesu

Christi, cuius in honorem Deo sacrum est templum, ibi antiqua religione observatur et colitur imago Beatae Mariae Virginis ab Igne dictae, Civitatis et totius dioeceseos Patronae, quae imago, Martino V hanc Sedem obtinente, excitato repente incendio, cum reliqua omnia deflagravissent, inviolata a flammis, atque intacta reperta est. Cuius rei miraculo permoti cives Forolivienses, splendidum, magnaque ornamentorum copia instructum in templo maximo Sacellum evexere, ubi Beatissima Virgo titulo, quem sibi fecerat, invocata, iis in votis precibusque non semel occurrit. Neque minori fortasse pietatis studio feruntur Forolivienses in Virginem Deiparam quae vocatur a Vulnere: pari enim munificentia et liberalitate alterum in templo Sacellum Beatae Mariae Virgini hoc nomine sancte aedificandum curaverunt. Sed habet Cathedralis Ecclesia Foroliviensis non paucas caelitum Beatorum reliquias, quibus tamquam amplissimo thesauro, sibi iure laetetur. In ea enim compositae asservantur mortales exuviae sanctorum civium Valeriani et octoginta Martyrum, qui pro catholica fide ab Arianis simul in supplicium dediti, sicut societate certaminis, ita coniuncti sunt communione victoriae. Ibi praeterea conditi sunt sacri cineres sanctorum Grati et Marcelli et beati Marcolini Foroliviensium, qui postquam cives suis virtutibus natale solum illustrarunt, nunc beatissimi Caelites patrocinio suo tuentur et fovent. Nec praetermittendae sunt reliquiae sancti Sigismundi, qui illustri facto martyrio sceptrum regis cum palma martyris commutavit. De Foroliviensi Ecclesia illam etiam

libet commemorare laudem, quod in longa Episcoporum serie, qui illi praefuerunt, non pauci sunt qui de hac Apostolicá Sede egregie meruerint. Quibus omnibus e rebus placet Nobis, ut ad dignitatis insignia, quibus Romani Pontifices decessores Nostri Foroliviensem Clerum cohonestarunt, nonnullorum ornamentorum etiam per Nos fiat accessio. Quare Cathedralis Ecclesiae Foroliviensis Canonicis et Mansionariis, nec non Archipresbyteris curam animarum in ea dioecesi gerentibus, singularis benevolentiae Nostrae testimonium dare volentes, omnesque et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi, perpetuum in modum concedimus ut Canonici, in Ecclesia Cathedrali tantum, diebus quibus violaceas vestes induere non licitum est, utantur talari veste nigra cum fimbriis et globulis violaceis; ut Canonicus Primicerius, qui ad Sancti Mercurialis sacra curiae administrat, in festivitatibus solemnioribus utatur choralibus indumentis et privilegiis quibus utitur in Ecclesia Cathedrali; ut mansionarii hyemali tempore cappa magna pellibus cineracei coloris confecta, aestivo autem cappa lanea violacei coloris sese induant; ut demum Archipresbyteri quibus est animarum in dioecesi Foroliviensi commissa salus, iisdem utantur fruantur ornamentis et insignibus, quibus

memoratae dioeceseos Vicarii Foranei utuntur fruuntur. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV decessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die II Iunii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

LITTERAE APOSTOLICAE

DE STATVTIS PIAE CONSOCIATIONIS
A SACRA FAMILIA

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Neminem fugit rei privatae et publicae faustitatem à domestica potissimum institutione pendere. Quo enim altiores domi egerit radices virtus, quo solertius parentum voce et exemplo fuerint puerorum animi ad religionis praecepta informati, eo uberiores in rem communem fructus redundabunt. Quapropter summopere interest ut domestica societas non solum sancte sit constituta, sed sanctis etiam regatur legibus; in eaque religionis spiritus et christianae vitae ratio diligenter constanterque foveatur. Hinc profecto est quod misericors Deus cum humanae reparationis opus, quod diu saecula expectabant, perficere decrevisset, ita eiusdem operis rationem ordinemque disposuit, ut prima ipsa eiusdem initia augustam mundo exhiberent speciem Familiae divinitus constitutae, in qua omnes homines absolutissimum domesticae societatis, omnisque virtutis ac sanctitatis intuerentur exem-

plar. Talis quidem Familia extitit Nazarethana illa, in qua, antequam gentibus universis pleno lumine emicuisset, Sol iustitiae erat absconditus: nimirum Christus Deus Servator Noster cum Virgine Matre et Ioseph viro sanctissimo, qui erga Iesum paterno fungebatur munere. Minime dubium est quin ex iis laudibus, quae in societate et consuetudine domestica ex mutuis caritatis officiis, ex sanctitate morum, ex pietatis exercitatione proficiscuntur, maxima quaeque enituerit in sacra illa Familia, quae siquidem earum futura erat ceteris documento. Ac propterea benigno providentiae consilio sic illa constitit; ut singuli christiani qualicumque conditione vel loco, si ad eam animum advertant, facile possint cuiuscumque virtutis exercendae habere caussam et invitamentum. Habent revera patresfamilias in Ioseph vigilantiae providentiaeque paternae praeclarissimam normam: habent matres in sanctissima Virgine Deipara amoris, verecundiae, submissionis animi perfectaeque fidei insigne specimen: filii vero familias in Iesu, qui *erat subditus illis,* habent divinum obedientiae exemplar quod admirentur, colant, imitentur. Qui nobiles nati sunt, discent a Familia regii sanguinis quomodo et in edita fortuna se temperent, et in afflicta retineant dignitatem: qui dites, noscent ab ea quantum sint virtutibus posthabendae divitiae. Operarii autem et ii omnes, qui, nostris praesertim temporibus, familiarum rerum angustiis ac tenuiore conditione tam acriter irritantur, si ad sanctissimos illius domesticae societatis consortes respectent, non deerit eis caussa cur loco, qui sibi obtigit,

delectentur potius quam doleant. Communes enim cum sacra Familia sunt illis labores; communes curae de vita quotidiana: debuit et Ioseph de mercede sua vitae rationibus consulere; imo ipsae divinae manus se fabrilibus exercuerunt. Nec mirum sane est si sapientissimi homines divitiis affluentes, eas abiicere voluerint, sociamque cum Iesu, Maria et Ioseph sibi eligere paupertatem. Quibus e rebus iure meritoque apud catholicos sacrae Familiae cultus mature invectus, maius in dies singulos incrementum capit. Id quidem probant tum christianorum sodalitates sub invocatione Sacrae Familiae institutae, tum singulares honores ei redditi, tum potissimum a decessoribus Nostris ad excitandum erga eam pietatis studium impertita privilegia et gratiae. Huiusmodi cultus magno in honore habitus est iam inde a saeculo decimo septimo, lateque per Italiam, Galliam et Belgium propagatus, totam fere Europam pervasit: deinde praetergressus vastos Oceani tractus, in America per Canadensem regionem, cura praesertim atque opera Venerabilis Servi Dei Francisci de Montmorency-Laval primi Quebecensis Episcopi, et Venerabilis Servae Dei Margaritae Bourgeois, sese extendit, faustisque effloruit auspiciis. Postremis hisce temporibus dilectus filius Franciscus Philippus Francoz Societatis Iesu piam Consociationem a Sacra Familia Lugduni fundavit, quae fructus laetos atque uberes, Deo iuvante, de se pollicetur. Consociationi tam auspicato conditae illud est salutare propositum: nimirum familias christianas arctiori pietatis nexu Sacrae Familiae devincire,

vel potius omnino devovere, eo etiam consilio, uti scilicet Iesus, Maria et Ioseph familias sibi deditas tamquam rem propriam tueantur et foveant. Qui sociorum in numerum sunt adsciti, debent ex instituto cum iis qui domi commorantur, in unum convenire; coram imagine Sacrae Familiae decreta pietatis officia praestare: providere, ea opitulante, ut inter se colligatis fide mentibus, caritate voluntatibus in amore Dei atque hominum, vitam ad propositum exigant exemplar. Piam hanc consociationem Bononiae ad instar Lugdunensis institutam decessor Noster felicis recordationis Pius IX similibus litteris approbavit: deinceps Epistola die v Ianuarii MDCCCLXX ad pium auctorem data, singularis laudis praeconio est prosequutus. Ad Nos quod attinet, cum summopere curemus, et diligamus quaecumque ad animarum salutem iuvandam maxime valent, noluimus desiderari laudem et commendationem Nostram; datisque ad dilectum Filium Nostrum Augustinum S. R. E. Cardinalem Bausa, ex dispensatione Apostolica Archiepiscopum Florentinum, litteris, eam Consociationem utilem ac salutarem, nostrisque temporibus valde accommodatam esse significavimus. Quas vero Nostra sacrorum Rituum Congregatio, suffragante dilecto Filio Nostro Caietano S. R. E. Presbytero Cardinali Aloisi-Masella eidem Congregationi Praefecto, consecrationis christianarum familiarum formulam, et precationem coram imagine Sacrae Familiae recitandam Nobis proposuerat, probavimus, et utramque ad locorum Ordinarios transmittendam curavimus. Deinde veriti ne germanus memoratae

devotionis spiritus tractu temporis oblanguesceret, eidem Nostrae Sacrorum Rituum Congregationi mandavimus, ut Statuta concinnaret, quibus in universo catholico orbe piae consociationes Sacrae Familiae instituendae adeo inter se coniunctae forent, ut unus omnibus praeficeretur praeses, qui eas auctoritate summa regeret et moderaretur. Statuta post accuratum examen ab eadem Sacra Congregatione exarata, sunt eadem quae subscribuntur.

STATUTO DELLA PIA ASSOCIAZIONE UNIVERSALE DELLE FAMIGLIE CONSACRATE ALLA SACRA FAMIGLIA DI NAZARET

1° Scopo della pia Associazione si è che le famiglie cristiane si consacrino alla Sacra Famiglia di Nazaret e la propongano alla propria venerazione ed esempio, onorandola davanti la sua immagine con preghiera quotidiana, e modellando la vita sulle sublimi virtù, delle quali essa diede l'esempio ad ogni classe sociale, e particolarmente all'operaia.

2° La Pia Associazione ha il suo centro in Roma presso l'Emo Cardinale Vicario *pro tempore* di Sua Santità, che ne è il Protettore. Egli coadiuvato da Monsignor Segretario della Sacra Congregazione dei Riti e da due altri Prelati a sua scelta, ed oltre a questi da un Ecclesiastico coll'officio di *Segretario*, dirige l'Associazione medesima in tutte le parti del mondo, procurando che

essa conservi lo spirito e il carattere della propria istituzione, e sempre più si propaghi.

3° In ogni Diocesi o Vicariato Apostolico, l'Ordinario per meglio promuovere la Pia Associazione tra i suoi fedeli, si varrà dell' opera di un ecclesiastico a sua scelta, col titolo di *Direttore Diocesano.*

4° I Direttori Diocesani terranno corrispondenza coi Parrochi, a' quali soli è affidata l'ascrizione delle famiglie della rispettiva loro Parrocchia. Nel Maggio poi di ciascun anno i Parrochi comunicheranno ai Direttori Diocesani, e questi, sotto la dipendenza dell' Ordinario, alla sede centrale di Roma il numero delle nuove famiglie ascritte alla Pia Associazione.

5° La consacrazione delle famiglie si farà secondo la formola approvata e prescritta dal Sommo Pontefice Leone XIII. Essa può farsi in particolare da ciascuna famiglia, ovvero da più famiglie riunite nella Chiesa Parrocchiale presso il proprio Parroco, o suo delegato.

6° L' immagine della Sacra Famiglia di Nazaret dovrà trovarsi in ciascuna delle famiglie ascritte, ed i membri di esse almeno una volta al giorno, e possibilmente la sera, pregheranno in comune innanzi la medesima. Si raccomanda a tal uopo in modo particolare la formola di preghiera approvata dal Regnante Sommo Pontefice, ed altresì l'uso frequente delle tre note giaculatorie:

Gesù, Giuseppe e Maria, vi dono il cuore e l' anima mia.

Gesù, Giuseppe e Maria, assistetemi nell' ultima agonia.

Gésù, Giuseppe e Maria, spiri in pace con Voi l'anima mia [1].

7° L'immagine della Sacra Famiglia può essere o quella menzionata nella Lettera della sa. me. di Pio IX del 5 Gennaio 1870, o qualunque altra in cui sia rappresentato il Nostro Signore Gesù Cristo nella sua vita nascosta che menò con la Beatissima Vergine Sua Madre e col castissimo Sposo di Lei, S. Giuseppe. Rimane però sempre nell'Ordinario, a norma del Tridentino, il diritto di escludere quelle immagini che non fossero secondo il concetto proprio di questa Associazione.

8° Le famiglie ascritte all'Associazione godono delle Indulgenze e dei vantaggi spirituali concessi dai Sommi Pontefici, come viene indicato nella pagella di aggregazione.

9° Il Cardinale Protettore col suo Consiglio formerà e pubblicherà un Regolamento, nel quale si troveranno particolari disposizioni intorno a ciò che può tornare più utile alla Pia Associazione, e specialmente s'indicheranno le sue feste proprie, il giorno della festa Titolare, la rinnovazione annua dell'atto di consacrazione da farsi collettivamente, le adunanze da tenersi, ecc.

[1] *Indulgenza* toties quoties *di 300 giorni per le tre unite, e di 100 giorni per ciascuna.*

Pio Papa VII, 28 Aprile 1807.

Quae quidem Statuta, cum de iis supradictus Cardinalis Praefectus ad Nos retulisset, comprobavimus et Apostolica Auctoritate Nostra rata habuimus et confirmavimus, derogatis abrogatisque quae super hanc rem scita actaque sunt, nominatim Apostolicis Litteris die III Octobris anno MDCCCLXV, datis, et omnibus actis, quae ad primariam Lugdunensem Consociationem spectant. Volumus autem, iubemus ut Consociationes omnes Sacrae Familiae cuiuscumque tituli, quae nunc existant, in hanc unicam et universam coalescant. Excipimus tamen religiosas Congregationes huius tituli, quae constitutionibus utantur ab hac S. Sede approbatis, et Confraternitates proprie dictas, dummodo canonice sint erectae, et ad regulas et normas dirigantur a Romanis Pontificibus praescriptas, nominatim a Clemente VIII in Constitutione *Quaecumque*, die VII Decembris anno MDCIV. Hae vero Confraternitates ac religiosae Congregationes, quae fortasse adscribendis familiis operam hactenus dederunt, in posterum ab huiusmodi cura, quae solummodo Parochis commissa est, prorsus abstineant. Haud tamen necesse est ut familiae iam alicui Consociationi adscriptae, pro indulgentiis aliisque muneribus spiritualibus obtinendis iterum adscribantur, dummodo servent ea quae in novis hisce Statutis praescripta sunt. Consociationis universae Praesidem eligimus, renuntiamus Nostrum in hac alma Urbe Vicarium in spiritualibus generalem pro tempore, atque in perpetuum Patronum damus cum omnibus iuribus et facultatibus, quae summam potestatem gerenti iudicentur necessariae.

Illi autem Consilium adesse volumus Urbanorum Antistitum, in quibus Secretarius pro tempore Nostrae Sacrorum Rituum Congregationis. — Quod superest, Nobis spes bona est omnes, quibus est animarum credita salus, maxime Episcopos, studii huius Nostri in hac pia Consociatione provehenda socios ac participes sese facturos. Qui enim cognoscunt et Nobiscum deplorant christianorum morum demutationem et corruptelam, restinctum in familiis religionis et pietatis amorem, et accensas supra modum rerum terrestrium cupiditates, ipsi quidem vel maxime optabunt tot tantisque malis opportuna afferri remedia.

Et siquidem nihil magis salutare aut efficax familiis christianis cogitari potest exemplo Sacrae Familiae, quae perfectionem absolutionemque complectitur omnium virtutum domesticarum. Quapropter curent ut familiae quamplurimae, praesertim operariorum, in quas insidiarum vis maior intenditur, piae huic Consociationi dent nomen. Cavendum tamen est ne a proposito suo Consociatio deflectat, neve spiritus immutetur; sed quae et quomodo decretae sunt pietatis exercitationes et precationes integrae serventur. Sic implorati inter domesticos parietes adsint propitii Iesus, Maria et Ioseph, caritatem alant, mores regant, ad virtutem provocent imitatione sui, et quae undique instant mortales aerumnae, eas leniendo faciant tolerabiliores. — Decernentes haec omnia et singula uti supra edicta sunt, firma rataque in perpetuum permanere, non obstantibus constitutionibus, litteris Apostolicis, privilegiis,

indultis, Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XIV Iunii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. CARD. VANNVTELLI

LITTERAE APOSTOLICAE

DE INDVLGENTIIS ET PRIVILEGIIS PIAE CONSOCIATIONIS
A SACRA FAMILIA

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quum nuper Nobis obtigisset, ut nova Statuta Consociationis Sacrae Familiae Apostolicis litteris probaremus et sanciremus, satis muneri atque officio Nostro facturos esse duximus, si eamdem Consociationem amplissimis verbis collaudaremus, eamque christianis familiis summopere commendaremus. Laudavimus autem, et commendavimus ea voluntate eoque proposito, ut nimirum populus christianus, cuius aeterna salus est Nobis commissa, ad christianarum virtutum laudem exemplo sacrae Familiae et invitatione Nostra tempestive revocaretur. Christiana quippe virtus tam est efficax, tantumque pollet, ut in ea magnam partem posita sit vel sanatio malorum, quae premunt, vel depulsio periculorum, quae metuuntur. Ad virtutem vero mirifice excitantur homines exemplo: quod quidem eo magis imitatione dignum iudicatur, quo integrior et sanctior est persona, unde petitur. Quare haud

mirum est si Nos, qui nihil magis cupimus atque optamus, quam posse, excitata ubique virtute christiana, praesentibus malis mederi, et proxima pericula deprecari, Consociationem Sacrae Familiae singulari benevolentia et studio prosequimur, utpote quae sanctitatem divinae illius Familiae sibi proponit exemplar. Omnes enim ii, qui in huiusmodi Consociationem adsciti sunt, praeclarissimas Iesu, Mariae, et Ioseph virtutes contemplantes, necesse est ut similitudinem earum aliquam adripiant, fierique studeant imitatione meliores. Quare vigeat floreatque haec pia Consociatio quum sodalium numero, tum recte factorum laude; augeatur et ad plures in dies singulos propagetur: ea enim florente, facile fides, pietas, et omnis christiana laus in familiis revirescent. Quum vero soleant homines permoveri maxime praemio; Nos, quod in facultate Nostra est, praemium spiritualium bonorum, non quidem fragile et caducum, illis, quasi invitamentum, proponimus. Ceterum maiora expectent ab iis, quibus se devoverunt, nimirum a Iesu, Maria, et Ioseph, qui sint servis suis praesentes propitii in omni vitae cursu, et postmodum efficiant, ut sua sanctissima ac suavissima nomina illorum morientium labris insideant. Quare quod bonum sanctumque sit, Deique gloriae, et animarum saluti benevertat, Nos auctoritate Nostra Apostolica, his litteris, poenarum remissionibus seu indulgentiis, privilegiisque, quae infra in apposito indice recensentur, omnes et singulos sodales Consociationis sacrae Familiae tam praesentes quam futuros uti posse volumus et iubemus.

INDEX INDVLGENTIARVM ET PRIVILEGIORVM

PIAE CONSOCIATIONI SACRAE FAMILIAE

TRIBVENDORVM

—

Indulgentiae plenariae.

Sodalibus Consociationis Sacrae Familiae ex utroque sexu singulis, qui admissorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, et Parochialem aedem, vel oratorium publicum, devote visitaverint, ibique aliquandiu ad mentem Nostram orando perstiterint, indulgentiam plenariam consequendi ius esto diebus, qui infra scripti sunt.

I. Die quo Consociationem adierint, emissa Consecrationis formula a Nobis per Nostram Rituum Congregationem probata, et in fine huius indicis relata.

II. Quo die in anno generalis conventus habebitur, iuxta cuiusque loci, in quo extat Consociatio, consuetudinem, ad sodalium pactum renovandum.

III. Diebus festivitatum

1.° Nativitatis
2.° Circumcisionis
3.° Epiphaniae
4.° Resurrectionis
5.° Ascensionis

} D. N. I. C.

6.° Immaculatae Conceptionis
7.° Nativitatis
8.° Annuntiationis
9.° Purificationis
10.° Assumptionis.
} B. M. V.

Item diebus festis

11.° S. Ioseph Sponsi B. M. V. die undevigesima mensis Martii.

12.° Patrocinii eiusdem, Dominica tertia post Pascha.

13.° Desponsationis B. M. V. die vigesima tertia mensis Ianuarii.

IV. Die festo titulari universae Consociationis.

V. Die per menses singulos sodalium arbitrio eligendo; dummodo mense ipso in familiis praescriptas preces coram Sacrae Familiae imagine una simul recitaverint.

VI. Morituris si, non compotes sacra Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint, et sanctum nomen Iesu aut voce, aut si loqui posse desierint, voluntate imploraverint.

Partiales.

I.

Sodales Consociationis Sacrae Familiae ex utroque sexu singuli, qui corde saltem contriti Parochialem Ecclesiam, in qua est sedes Consociationis constituta, vel

aliquod templum sacrariumve celebraverint, Deoque pro rei christianae incolumitate supplicaverint, lucrari possint et valeant partiales indulgentias septem annorum totidemque quadragenarum

1.° Die Visitationis
2.° Die Praesentationis } B. M. V.
3.° Die Patrocinii

4.° Quolibet die iidem sodales una simul in propriis familiis adscriptis congregati, ante imaginem Sacrae Familiae statas preces corde contrito recitaverint.

5.° Diebus, quibus sodales interfuerint conventibus quos haberi contigerit.

II.

Iidem sodales indulgentias lucrentur trecentorum dierum quoties corde contrito sequentem Orationem ante imaginem Sacrae Familiae quocumque idiomate recitaverint.

ORATIO

QVOTIDIE RECITANDA ANTE IMAGINEM SACRAE FAMILIAE

« O amantissime Iesu, qui ineffabilibus tuis virtuti-
« bus et vitae domesticae exemplis Familiam a te ele-
« ctam in terris consecrasti, clementer aspice nostram
« hanc domum, quae ad tuos pedes provoluta propitium

« te sibi deprecatur. Memento tuam esse hanc domum;
« quoniam tibi se peculiari cultu sacravit ac devovit.
« Ipsam benignus tuere, a periculis eripe, ipsi in neces-
« sitatibus occurre, et virtutem largire, qua in imitatione
« Familiae tuae sanctae iugiter perseveret; ut mortalis
« suae vitae tempore in Tui obsequio et amore fideliter
« inhaerens, valeat tandem aeternas tibi laudes persolvere
« in caelis.

« O Maria, Mater dulcissima, tuum praesidium im-
« ploramus, certi divinum tuum Unigenitum precibus tuis
« obsecuturum.

« Tuque etiam, gloriosissime Patriarcha sancte Ioseph,
« potenti tuo patrocinio nobis succurre, et Mariae ma-
« nibus vota nostra Iesu Christo porrigenda submitte. »

Ii vero sodales, qui vel infirmitate, vel alia caussa impediti hanc Orationem recitare nequiverint, eamdem indulgentiam lucrari poterunt, si devote quinquies recitaverint Orationem dominicam, et salutationem Angelicam cum *Gloria Patri.*

III.

Ducentorum dierum indulgentiam sodales Consociationis consequantur semel in die, si iaculatorias preces quocumque idiomate effuderint ut infra:

« Gesù, Maria, Giuseppe, illuminateci, soccorreteci, salvateci. Così sia. »

IV.

Centum dierum indulgentiam lucrifaciant sodales, qui operam dederint, ut christianae familiae huic piae et universali Consociationi sese adscribant.

V.

Indulgentiam sexaginta dierum lucrentur sodales, quoties hi: 1.° in Ecclesia Parochiali, in qua sedem habet Consociatio, sacrosancto Missae sacrificio, aliisque divinis officiis devote adstiterint: 2.° vel quinquies recitaverint Orationem dominicam et salutationem Angelicam pro sodalibus defunctis: 3.° vel familiarum dissidia composuerint vel componenda curaverint: 4.° vel familias a iustitiae tramite devias, in viam salutis reducere studuerint: 5° vel pueros sive puellas christianis praeceptis imbuere sategerint: 6.° vel aliud quodcumque pium opus peregerint, quod in bonum Consociationis cedat.

Sodalibus, si maluerint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis sive plenariis, sive partialibus, labes poenasque defunctorum expiare liceat.

PRIVILEGIA

Pro Sodalibus universis.

Missae, quae pro sodalibus defunctis quocumque in altari celebrabuntur, iisdem suffragentur ac si in altari privilegiato celebrarentur.

Pro Parochis.

I.° Privilegium altaris personalis tribus in qualibet hebdomada diebus; dummodo simili privilegio alia de caussa non perfruantur.

II.° Facultas benedicendi extra Urbem Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas statuas ac numismata, eisque applicandi omnes et singulas indulgentias, quas Summi Pontifices adtribuere iisdem solent, ut describitur in apposito elencho; sed tantummodo exercenda pro sodalibus in Consociationem adscitis, die quo 1.° christiani piam ingrediuntur Consociationem: et 2.° sollemniter renovetur pactum Consociationis.

FORMVLA

RECITANDA QVOCVMQVE IDIOMATE A CHRISTIANIS FAMILIIS QVAE SE SACRAE FAMILIAE CONSECRANT

« O Iesu Redemptor noster amabilissime, qui e caelo « missus ut mundum doctrina et exemplo illustrares, « maiorem mortalis tuae vitae partem in humili domo « Nazarena traducere voluisti, Mariae et Iosepho subdi- « tus, illamque Familiam consecrasti, quae cunctis chri- « stianis familiis futura erat exemplo; nostram hanc do- « mum, quae Tibi se totam nunc devovet, benignus su- « scipe. Tu illam protege et custodi, et sanctum tui ti- « morem in ea confirma, una cum pace et concordia « christianae caritatis: ut divino exemplari Familiae tuae « similis fiat, omnesque ad unum quibus ea constat, bea- « titatis sempiternae sint compotes.

« O amantissima Iesu Christi Mater et mater nostra « Maria, tua pietate et clementia fac ut consecrationem « hanc nostram Iesus acceptam habeat, et sua nobis be- « neficia et benedictiones largiatur.

« O Ioseph, sanctissime Iesu et Mariae custos, in « universis animae et corporis necessitatibus nobis tuis « precibus succurre; ut tecum una et beata Virgine Ma- « ria aeternas divino Redemptori Iesu Christo laudes et « gratias rependere possimus. »

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus: non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xx Iunii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

EPISTOLA

DILECTO FILIO
EQVITI FRANCISCO BRANDTS
PRAESIDI SOCIETATIS AB « ARBEITERWOHL »
APPELLATAE
GLADBACVM MONACHORVM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum ea soleant imprimis animum oblectare quae conceptae spei et expectationi respondent, facile intelligis pergratas Nobis litteras accidisse, quas nuper, te praeeunte, ad Nos dedit meritissima societas Gladbaci Monachorum instituta, quae a curando operariorum bono sibi nomen fecit laudemque plurimam quaesivit. Praefulget enim ex ea epistola propensa voluntas plenumque obsequium, quo documenta Nostris explicata litteris encyclicis de opificum conditione conscriptis, excepta sunt a quamplu-

rimis viris honestissimis, quibus illi solent operas locare suas. Id autem ita futurum non modo certa spe tenebamur, sed praecinuimus quodammodo non ita pridem quum rescripsimus obsequiosis litteris, quibus Nos adiere operarii prope innumeri e Germania universa. Verum non modo eam ob rem summa cum benevolentia complexi sumus tua, dilecte fili, tuorumque sociorum officia, sed etiam quod institutum vestrum, duodecim abhinc annos florens, praeverterat non minima ex parte desideria et hortamenta Nostra, demerendo operariam plebem pluribus variisque benefactis, quorum praestantia et opportunitas praeclarius enitet ex ipsa rerum praesenti necessitudine et temporum difficultate. Quapropter laetati quidem, at minime mirati sumus ea perlegentes quae memorastis de favore ac praesidio summi ,Dei qui laboribus vestris successus dedit haud poenitendos. Ipse enim iam praemonuit centuplum fructum prolatum iri ex eo semine quod cecidisset in terram bonam. Nos equidem confidimus adprecamurque ut salutaris haec ubertas, viribus in dies auctis opibusque vestris, increscat magis magisque, idque fore auguramur si firmiter ea constet inter vos studiorum coniunctio qua nihil aptius et validius est ad optima quaeque et grandia gerenda. Pergite itaque instare operi alacritate pari amplitudini incepti vestri, cogitantes nunquam defore divinam benignitatem iis, qui erga humiliores sese praebent eius administros. Huius porro benignitatis nunquam defecturae auspicem esse optamus Apostolicam benedictionem, quam tibi, dilecte fili, sociis quibus praees,

opificibus quorum vobis cura est, vestris eorumque familiis, uti rogas, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXV Iunii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOBILI VIRO
COMITI FELICI DE LOE

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOBILIS VIR
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quo sint erga Nos animo Germaniae fideles et quo flagrent studio tuendae religionis avitae, novo et solemni prodiderunt indicio praeclara scita, probata concordi suffragio in conventu Fuldensi, quorum exemplum, te curante nuper ad Nos pervenit. Equidem dum grato prosequimur animo significationes pietatis vestrae, quae vos facit de libertate et exteriore dignitate Nostra sollicitos, facere non possumus quin merita simul ornemus laude zelum quo contenditis ut libertatem plenam in catholica religione colenda civilium quoque legum communiat auctoritas. Id enimvero et Nobis summae curae esse iam tum palam ostendimus quum istic catholica religio civilis cul-

tus tuendi nomine impeteretur: quo tempore non desiimus conari ut leges abrogarentur Ecclesiae infensae, sin minus earum leniretur acerbitas. Eodem studio etiam in praesens incendimur, quippe quod neque indita Nobis ab ineunte aetate fides, neque ratio ministerii Nostri sinat restingui. Eapropter nihil habemus antiquius quam ut in illustri patria vestra catholica religio augescente in dies prosperitate floreat, adversarum legum expedita nexibus, earum praesertim quae ad religiosam pertinent iuventutis institutionem. Itaque quum eo quo Nos intendimus, conniti vos etiam et reliquos Germaniae fideles intelligamus, necesse est Nos meritas vobis dare laudes ob ea quae gessistis, Nostraeque hortationis addere stimulos ut eorum compotes efficiamini quae adhuc sunt in optatis. Igitur pergite alacriter; omnique utentes praesidio et ope quae catholicos homines deceat, ductu et auspicio sacrorum Antistitum, quorum constantia et fides vel in maxima asperitate rerum Nobis fuit probatissima, ad metam propositam festinate, confisi propitiam vobis adfuturam potentiam Dei illic ubi humanae deficiunt vires. — Interim quum ea quae hisce litteris complexi sumus cunctis optemus innotescere qui tecum Fuldensis conventus fuere participes, hanc tibi curam, dilecte Fili, Nobilis Vir, demandamus, nequis paternae caritatis Nostrae sensus ignoret qui noluit filialis pietatis suae Nobis deesse solatia. Omnia demum fausta et salutaria a Deo adprecati, tibi et ceteris qui huius Apostolicae Sedis iura et Ecclesiae rationes tecum adseruere suffragiis suis, nec non reliquis

omnibus Germaniae fidelibus Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVII Iunii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

CANONICIS TITVLARIBVS ECCLESIAE DIVIONENSIS

PECVLIARE HONORIS INSIGNE CONCEDITVR

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romanorum indulgentiâ Pontificum peculiaria dignitatis insignia iis deferuntur sacrorum administris, qui conspicuis in templis Deo operantur, ut siquidem ii externa decora adepti, internis virtutibus studeant enitere et ad sacra ministeria integre implenda benignitatis etiam Apostolicae incitamento impellantur. Quare cum Venerabilis Frater Divionensis dioecesis Antistes exponendum Nobis curaverit, in votis sibi admodum esse ut Canonicis titularibus Ecclesiae Divionensis quaedam insignia gestandi facultatem de Apostolica venia faciamus; Nos hisce votis obsecundandum libenter censuimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus Nostrae hae litterae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei

gratia absolventes et absolutos fore censentes, de Apostolica Nostra auctoritate, vi praesentium, supradictis Canonicis Ecclesiae Divionensis titularibus pro tempore existentibus, perpetuum in modum concedimus, ut dum sacris muneribus dant operam, in choro scilicet, in comitiis, sacrisque pompis, intra dictae dioecesis Divionensis limites, Crucem octangulam pectoralem rubra superficie ad quatuor Crucis latera, ab adversa parte imaginem SS. Benigni et Bernardi in medio, ab aversa autem effigiem Nostram referentem, quae taenia rubra dependeat, cum extremis oris flavi coloris, iuxta schema, quod in Nostrae Secretariae Brevium tabulario asservatur, gestare libere, liciteque possint et valeant. Decernentes has litteras Nostras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus fel. rec. Benedicti PP. XIV Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die I Iulii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO DIE XI IVLII MDCCCXCII
AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBVS VATICANIS

VENERABILES FRATRES

Nonnihil allocuturi amplissimum consessum vestrum, antea quam Episcopos nuncupemus ad viduas mittendos Ecclesias, valde velimus optabiliora ad vos fando afferre. At vero perspicitis qualis esse perseveret rerum cursus, quanto plures dolendi caussae, quam laetandi. Illud gravius, quod incommodorum vis variaeque acerbitates quae in Ecclesiam diu iam incubuere, ex Italia, uti nostis, potissimum ingravescant. Nimirum factio hominum maxime audax, quia malis artibus potens et temporum favore tuta, pergit Ecclesiam opprimere, perque speciem ministrandae populo libertatis, large iniuriarum atque impietatis permittit licentiam. Recens clamat illorum insigne nefas, qui nequissimarum obtinent magisteria sectarum. Quibus licuit impune, in luce ipsa civitatum, multa effundere flagitiosissima: optare se et mordicus velle romanum Pontificem, publicum velut hostem, extinctum, labefactatam Ecclesiam, religionem usquequaque deletam; iam apud se statuisse per artes omnes rogandarum legum ad impia

niti proposita; iamque se de non dubio exitu insolentius iactare, avitae fidei Italorum illudere, humana divina iura contemnere, ipsum lacessere Christum. Quae quidem malorum moles, praesentium et impendentium, tanta est, ut summa animi aegritudo inclamare compellat: *Vere haec est hora vestra et potestas tenebrarum* [1]. — At vero, Venerabiles Fratres, confirmare animos iuvat: vivit utique et imperat Christus Deus, qui conata perfidorum hominum dissipet, providus idem suorum custos et acerrimus vindex Ecclesiae. In eo spes bonorum omnium firmior usque consistat: opus tamen praeterea est calliditati, arrogantiae, nequitiae virtutem opponere nihil timidam, actuosam, constantem, de Ecclesiae Sedisque Apostolicae iuribus apprime sollicitam. Quibus quidem iuribus testamur nihil esse per vim detractum, nihil per suffragium temporis derogatum: sed integra et salva romano Pontifici permanere: eaque Nos repetere et vindicare, quoad opus fuerit, nullo tempore nullâque de caussa intermissuros. Neque vero hac in re depugnamus aut depugnabimus soli. Consentientes habemus omnes bonos, quotquot cordi est sanctitas iuris, integritas iustitiae, salus catholici nominis: nitimur Dei omnipotentis ope, qui ipsius gratiâ laborantibus benigne opitulatur; itemque confidimus operae vestrae, Venerabiles Fratres, qui Nos, uti facitis tot iam annos, consilio, studio, contentione adiuvabitis.

Nunc vero ad Episcoporum cooptationes veniamus.

[1] Luc. XXII, 53.

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
EX HISPANIA ITALIA ET VTRAQVE AMERICA

—

DE CHRISTOPHORO COLVMBO

—

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quarto abeunte saeculo, postea quam homo Ligur ad ignotas trans Oceanum Atlanticum oras, Deo auspice, primus appulit, gestiunt homines et memoriam rei grata recordatione celebrare et auctorem extollere. Nec sane facile reperiatur, quae permoveat animos studiaque inflammet, caussa ulla dignior. Res enim per se omnium est, quas ulla aetas unquam ab hominibus effectas vidit, maxima et pulcherrima: is vero qui fecit, pectoris ingeniique magnitudine post natos homines cum paucis comparandus. Eius operâ, ex inexplorato Oceani sinu alter emersit orbis: centena mortalium millia ex oblivione et tenebris in communem humani generis societatem restituta, ex fero cultu ad mansuetudinem atque humanitatem

traducta; quodque est longe maximum, eorum communicatione bonorum, quae Iesus Christus peperit, ad vitam sempiternam ab interitu revocata. — Europa quidem, subitae rei novitate et miraculo tunc attonita, quid Columbo debeat, sensim postea cognovit, cum nimirum deductis in Americam coloniis, commeatu assiduo, mutatione officiorum, dandis accipiendisque mari rebus, ad naturae cognitionem, ad communes copias, ad opes incredibilis est accessio facta, unâque simul Europaei nominis mire crevit auctoritas. — In hac igitur tam multiplici significatione honoris, atque in hoc velut concentu gratulantium, omnino silere non decet Ecclesiam, quippe quae more atque instituto suo, quidquid usquam honestum ac laudabile videatur, probat libens ac provehere nititur. Honores illa quidem singulares et maximos reservat praestantissimis in genere morum virtutibus, qua saluti aeternae animorum cohaerent: non idcirco tamen spernit aut parvi aestimat ceterum genus: immo vero magna voluntate favere honoremque semper habere consuevit egregie de civili hominum coniunctione meritis atque immortalitatem apud posteros consecutis. *Mirabilis* enim *Deus est* maxime *in sanctis suis:* sed divinae virtutis eius in iis quoque apparent impressa vestigia, in quibus eluceat vis quaedam animi ac mentis excellens, quia non aliunde in homines lumen ingenii atque excelsitas animi, nisi a parente et procreatore Deo proficiscuntur.

Sed praeterea alia est caussa, eademque prorsus singularis, quamobrem recolendum nobis memori gratulatio-

ne putemus immortale factum. Nimirum Columbus noster est: quandoquidem si paulisper spectetur qua potissimum caussâ consilium cepit *tenebrosum mare* conquirere, et qua ratione consilium conatus est exequi, dubitari non potest, plurimum in re suscipienda perficiendaque potuisse fidem catholicam, ita ut non parum hoc etiam nomine universum hominum genus debeat Ecclesiae.

Fortes quidem atque experientes viri, cum ante Christophorum Columbum tum postea, numerantur non pauci, qui ignotas terras, ignotiora maria pertinaci studio exquisierint. Quorum memoriam fama hominum, beneficiorum memor, iure praedicat, praedicabit, propterea quod scientiarum atque humanitatis propagavere fines, communemque prosperitatem auxere: idque non levi negotio, sed per summam animi contentionem, nec raro per summa pericula. — Est tamen, quod hos inter atque eum, de quo loquimur, magnopere differat. Videlicet haec praecipue nota Columbum distinguit, quod emetiendo remetiendoque immensa Oceani spatia, maius quiddam atque altius quam ceteri, petebat. Non quod nihil ille moveretur honestissima cupiditate sciendi, beneque de hominum societate merendi; nec quod gloriam contemneret, cuius acriores in magnis pectoribus solent esse morsus, aut spem utilitatum suarum funditus aspernaretur: verum prae his humanis rationibus universis longe in illo ratio valuit religionis avitae, quippe quae sine ulla dubitatione et eam mentem voluntatemque homini dedit, et in summis saepe difficultatibus constantiam cum solatio praebuit. Hanc enim

praecipue sententiam atque hoc propositum eius insedisse animo constat; aditum Evangelio per novas terras novaque maria patefacere.

Id quidem parum verisimile videri eis potest, qui in hanc rerum naturam, quae percipitur sensibus, cogitatione omni curâque contractâ, recusant intueri maiora. — Sed contra in maximis ingeniis hoc fere existit, ut malint altius assurgere: sunt enim ad concipiendos divinae fidei instinctus afflatusque optime omnium comparata. Certe studium naturae cum religionis studio Columbus coniunxerat, atque haustis ex intima fide catholica praeceptis mentem conformarat. Hac de caussa cum ex astronomica disciplina et veterum monumentis comperisset, trans noti orbis terminos magna terrarum spatia etiam in occidentem patere, nulli hominum ad eam diem explorata, obversabatur animo multitudo ingens, miserandis circumfusa tenebris, vesanis ritibus ac deorum inanium superstitionibus implicita. Miserum agresti cultu ferisque moribus vivere: miserius carere notitia rerum maximarum, atque in unius veri Dei ignoratione versari. Haec igitur apud animum suum agitans, primum omnium expetivit, christianum nomen, christianae beneficia caritatis in occidentem extendere: quod totâ rei gestae historiâ abunde comprobatur. Sane cum a Ferdinando et Isabella Hispaniae regibus primum petiit, rem suscipere ne gravarentur, plane exponit caussam, *fore ut ipsorum gloria ad immortalitatem cresceret, si nomen ac doctrinam Iesu Christi inferre in regiones tam longe dissitas instituissent.* Nec multo

serius compos votorum factus, *contendere se a Deo* testatur, *ut reges divina eius ope gratiâque velle pergant novas oras nova litora Evangelio imbuere.* Ab Alexandro VI Pontifice maximo viros apostolicos maturat per litteras petere, in quibus ea est sententia: *sacrosanctum Iesu Christi nomen et Evangelium quam latissime disseminare me aliquando posse, Deo adiutore, confido.* Atque efferebatur, putamus, gaudio, cum Raphaeli Sanchesio primum ab India redux Olisipone scriberet, *agendas Deo immortales gratias, quod sibi successus tam prosperos benigne dedisset: gaudere ac triumphare Iesum Christum in terris aeque ac in caelis oportere, proximâ iam gentium innumerabilium, quae antea ad interitum ruerent, salute.* Quod si Ferdinando et Isabellae auctor est ut novum orbem adiri commerciaque cum indigenis institui nisi a christianis catholicis ne sinant, eam affert caussam, quod *incepto conatuque suo nihil petivit aliud, quam religionis christianae incrementum et decus.* Idque Isabellae, quae summi viri mentem introspexerat ut nemo melius, optime cognitum: immo idem plane propositum pientissimae et ingenio virili magnoque animo feminae constat fuisse. Illa enim de Columbo affirmarat, futurum ut in vastum Oceanum se animose daret, *rem effecturus, divinae gloriae caussâ, magnopere insignem.* Et ad ipsum Columbum secundo reducem, *optime collocatos,* scribit, *quos ipsamet in expeditiones Indicas fecisset, quosque esset factura, sumptus: inde enim amplificationem catholicae rei consecuturam.*

Alioqui praeter caussam humanâ maiorem, unde erat ille constantiam animique robur hausturus ad ea perfe-

renda, quae coactus est usque ad extremum perferre et perpeti? contrarias intelligimus eruditorum sententias, virorum principum repulsas, furentis Oceani tempestates, assiduas vigilias, quibus usum luminum plus semel amisit. Accessere praelia cum barbaris, amicorum et sociorum infidelitates, consceleratae conspirationes, invidorum perfidiae, obtrectatorum calumniae, impositae innocenti compedes. Omnino necesse homini erat laboribus tantae molis ac tanto concursu succumbere, nisi se ipse conscientiâ sustentasset pulcherrimi facti, quod nomini christiano gloriosum, atque infinitae multitudini salutare perspiciebat fore. — Quod quidem factum ipsa temporis adiuncta mirifice illustrant. Siquidem Americam Columbus aperuit quo tempore prope erat ut magna in Ecclesiam procella incumberet. Quantum igitur ex rerum eventis divinae providentiae vias existimare homini licet, vere singulari Dei consilio natus videtur ille Liguriae ornamentum ad ea, quae catholico nomini ab Europa impenderent, detrimenta sarcienda.

Vocare Indorum genus ad instituta christiana, erat profecto Ecclesiae munus atque opus. Quod illa munus statim a principio inchoatum, insistere perpetuo caritatis tenore perrexit, itemque pergit, ad ultimam Patagoniam novissimo tempore progressa. — Columbus tamen certus praecurrere ac munire vias Evangelio, penitusque hac in cogitatione defixus, omnem operam suam ad id retulit, nihil fere aggressus nisi religione duce, pietate comite. Res commemoramus vulgo compertas, sed ad mentem animumque viri declarandum insignes. Scilicet

coactus a Lusitanis, a Genuensibus, infectâ re, abire, cum in Hispaniam se contulisset, intra parietes religiosae domus ad maturitatem alit meditatae conquisitionis grande consilium, conscio ac suasore religioso viro, Francisci Assisiensis alumno. In Oceanum, circumacto septennio, denique egressurus, quae ad expiandum animum pertinent, curat in procinctu: caeli Reginam precatur ut coeptis adsit cursumque dirigat: nec prius vela solvi, quam implorato numine Trinitatis augustae, imperat. Mox in altum provectus, saeviente mari, vociferante remige, tranquillam mentis constantiam tuetur, fretus Deo. Propositum hominis ipsa loquuntur imposita insulis novis nova nomina: quas quidem ubi singulas attigit, Deum omnipotentem supplex adorat, neque possessionem earum init, nisi *in nomine Iesu Christi.* Quibuscumque appulsus oris, non habet quicquam antiquius, quam ut Crucis sacrosanctae simulacrum defigat in litore: divinumque Redemptoris nomen, quod toties aperto salo cecinerat ad sonitum murmurantium fluctuum, in novas insulas primus infert: eamque ob caussam ad Hispaniolam aedificandi initium a molitione templi facit, popularesque celebritates a sanctissimis caerimoniis exorditur.

En igitur quo spectavit, quid egit Columbus in regionibus tanto maris terraeque tractu indagandis, inaccessis ad eam diem atque incultis, quarum tamen humanitas et nomen et opes celeri cursu in tantam amplitudinem, quantam videmus, postea crevere. Qua tota in re magnitudo facti, et vis varietasque beneficiorum, quae inde consecuta

sunt, grata quidem recordatione atque omni honoris significatione celebrari hominem iubent: sed primum omnium agnoscere ac venerari singulari ratione oportet aeternae mentis numen atque consilium, cui sciens paruit atque inservivit novi inventor orbis.

Quo igitur digne et convenienter veritati solemnia Columbiana agantur, ad celebritatum civilium decus religionis adhibenda sanctitas est. Proptereaque sicut olim ad primum facti nuntium grates Deo immortali, providentissimo, publice actae sunt, praeeunte Pontifice maximo: ita nunc in renovanda auspicatissimi eventus memoria idem arbitramur faciendum. — Edicimus itaque ut die XII Octobris, aut proximo die Dominico, si Ordinarius loci ita expedire censuerit, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis ex Hispania, Italia, atque ex utraque America, post Officium diei, solemni ritu Missa celebretur de *Sanctissima Trinitate.* — Quod, praeter nationes quae supra memoratae sunt, apud ceteras quoque confidimus fore ut idem, Episcopis auctoribus, peragatur: quod enim omnibus profuit, id convenit pie grateque ab omnibus celebrari.

Interim divinorum munerum auspicem et paternae Nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Iulii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO

DOCTORI GEIER PRAESIDI COLLEGII PRAEPARATORII

COETVS CATHOLICORVM E GERMANIA

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum ea Nos apprime delectent, quae eo collatas ostendunt fidelium curas ut catholicam tueantur veritatem et rationes Ecclesiae, pronum fuit ut litteris quas nonis Iuliis cum collegis tuis ad Nos dedisti periucunde afficeremur. Ex his namque cognovimus praenobilem patriam vestram sedem propediem fore conventus virorum catholicorum qui ex universa Germania quotannis coire solent, ut coniunctis studiis ea provehere contendant, quae ad incrementum religionis publicaeque salutis videantur aptissima, simulque intelleximus, te aliosque dilectos filios qui tuis subscripsere litteris, munus suscepisse ea parandi quibus conventus iste commode riteque habeatur. Equidem rem optime cessuram haud immerito auguramur ex iis sensibus fidei et pietatis, zeli, prudentiae ac filialis obsequii

in hanc Apostolicam Sedem qui enitebant in litteris tuis, quos sensus communes fore haud ambigimus iis omnibus qui tecum ad quartum Moguntinum coetum celebrandum convenerint. Quoniam vero sapienter memoras, nihil perfici posse humano labore et industria, nisi faveat et incrementa det operi Deus, ultro precibus vestris Nostras adiungimus, ut ipse vobis propitius adsit sapientiae suae luminibus et gratiae praesidiis, consociet animos viresque confirmet, praestetque demum ut nobilitati incepti vestri felicitas exitus, speique par ubertas salutarium fructuum respondeat. Huius interea divinae benignitatis auspicem, Apostolicam benedictionem tibi, collegis tuis, ceterisque dilectis filiis, qui indictum coetum erunt vobiscum acturi, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Iulii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IOANNI EPISCOPO PEORIENSI
PEORIAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Lubentissime agnovimus ex litteris tuis, die xx Maii mensis datis, partem haud ignobilem collectionis amplissimae rerum omnigenarum, quae anno proximo Chicagiae ostentui erunt, constituram ex iis copiis, quas Catholici invexerint, et, quo locupletior ea sit, hortatu Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, qui provinciis ecclesiasticis praesunt in foederatis civitatibus Americae Septentrionalis, excitatos fuisse ut symbolas conferant suas moderatores institutorum omnium catholicorum, quae educationi doctrinaeque iuvenilis aetatis addicta sunt. Etsi plena auctoritatis vox sit praedictorum Antistitum, adeoque certum sit Nobis ultro iis morem gesturos omnes ad quos ea spectat hortatio, nolumus tamen nobili huic cogitato et incepto commendationem Nostram deesse. Siquidem probe

intelligimus eo rem pertinere, ut studia incendantur eorum, qui iuvenum institutioni dant operam, iisque maiora praesto sint praesidia et instrumenta ut obeant optime ministerium suum. Hoc insuper eo valebit ut pateat luculentius, catholicam Ecclesiam non rudi cultu et obscuritate imperitiae delectari, sed memorem se a divina sapientia conditam esse, id praeferre et colere quod in quoquo genere, maxime in iis quae ad doctrinam recte tradendam attinent, perfectissimum est. Quare tibi, Venerabilis Frater, qui huius negotii curandi praecipue munus suscepisti, itemque iis qui tibi ea in re adiutricem operam conferunt, propensam voluntatem favoremque ominamur eorum omnium, quorum ope plenius propositum finem valeatis attingere, imprimis vero amplissima adprecamur gratiae caelestis auxilia. Divinae demum benignitatis auspicem, Apostolicam benedictionem tibi, clero et populo dioecesis, cui praesides, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Iulii MDCCCXCII. Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS VICARIATVS INSVLARVM SEYCHELLARVM
IN DIOECESIM ERIGITVR
NOVAEQVE DIOECESIS EPISCOPALIS SEDES
IN CIVITATE « PORT VICTORIA » CONSTITVITVR

—

LEO PP. XIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Vniversi Dominici gregis curam in persona B. Petri cui aeternus Pastor pascendas tradidit oves et agnos, arcano divinae providentiae consilio gerentes, ne spiritualia subsidia et adiumenta concredito Nobis gregi desint, ubi ovium numerum crevisse noverimus, ibi, et Pastores in earumdem praesidium et commodum sufficere solemus. Iam vero cum opus apostolicum Missionariorum Ordinis S. Francisci Capulatorum in Vicariatu Insularum Seychelles ita, auxiliante Deo, plurimos animarum fructus pertulerit, ut fere omnes incolae catholicam modo religionem profiteantur, Nobis in spirituale illorum fidelium bonum et commoditatem visum est, ut in praefato Vicariatu novam dioecesim erigere velimus. Quae cum ita sint, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis Propagandae

Fidei consilio, certa scientia, matura deliberatione, atque Apostolica Nostra auctoritate, praesentium tenore, praedictum Vicariatum in dioecesim erigimus et constituimus. Huius autem novae dioecesis Episcopalem sedem sitam volumus in civitate « Port Victoria » nuncupata, ex qua nomen novae dioecesi fiet « Portus Victoriae insularum Seychellarum ». Praeterea suffraganeam esse iubemus Archiepiscopi Columbensis in insula Ceylana, et singulis atque universis iuribus, privilegiis, honoribus et praerogativis uti, frui, quibus ceterae Episcopales Ecclesiae fruuntur et gaudent. Haec statuimus, volumus, mandamus, decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXI Iulii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

FVLBERTO EPISCOPO ANICIENSI

ANICIVM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quam propensa voluntate litterae a Nobis exceptae fuerint a clero perscriptae dioecesis tuae, pias exercitationes agente in sacro recessu, quas deferri Nobis curavisti, facile existimare potes ex eo studio quo ferimur, ut fideles omnes in Galliis summa consensione adnitantur ea praestare, quae ad religionem provehendam pertinent solidamque communis patriae prosperitatem. Plane quae iis legimus tradita litteris, ea erant eiusmodi, quae animos ostenderent religionis amore piaque in patriam caritate incensos, simulque obsequio plenos in Apostolicam Sedem, ac paratissimos ad ea peragenda, quae documentis Nostris complexi sumus. Itaque haec amantium filiorum officia quum Nobis solatio esse sentimus, tum ipsis eximiae laudi ac ceteris eorum civibus exemplo illustri fore intelli-

gimus. — Optantes autem ut egregia eorum proposita confirmet Deus, et perfectae, quam exhibent, obedientiae promissa victoriae praemia persolvat, Apostolicam benedictionem, paternae dilectionis testem, tibi, Venerabilis Frater, praedictis ecclesiasticis viris, ceteroque clero et populo dioecesis, cui praees, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Iulii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

DE THEOLOGIAE DISCIPLINA
IN SEMINARIO VATICANO CONSTITVENDA

—

LEO PP. XIII.

MOTV PROPRIO

Alumnis Seminarii Vaticani, qui prope sub oculis Nostris in tutela et quasi in umbra Beati Petri adolescunt, peculiares quasdam curas ad hoc tempus adhibere placuit; quemadmodum videmus illustres Decessores fecisse non paucos, nominatim Urbanum VIII, cuius providentia Seminarium ipsum anno MDCXXXVI est conditum, et utrumque Benedictum, XIII, XIV, quorum ab altero in meliorem sedem traductum, ab altero privilegiis ornatum est. Qua in re et per se ipsam iuventuti sacrae opportuna et omnino decora ad religionem dignitatemque basilicae Principis Apostolorum, opera Nobis collegii Canonicorum eiusdem basilicae desideranda quidem non fuit. — Nos igitur, praeter nonnullas ipsis aedibus Seminarii accessiones adiunctas, id, quod pluris erat, impensiore diligentia spectavimus ut virtutis in eo doctrinaeque studia incrementis optimis proveheremus. Ad doctrinam proprie quod attinet, litterarum et humanitatis cursum iussimus esse appara-

tiorem; item cursum consequentem philosophiae, apta etiam rei physicae supellectile instructum ceterisque praesidiis quibus adolescentium ingenia acui solent et expoliri: ista vero omnia eo modo et via eisque cum laudibus magistrorum exigenda censuimus, ut eadem institutio commode posset utiliterque vel externis patere, hac praesertim sub extremam urbem regione. Consiliis Nostris atque expectationi bona fructuum copia, ex moderatorum et doctorum sollertia, respondit. Sic aucta in Nobis benemerendi voluntate, de villa cogitavimus ad saluberrimam alumnorum relaxationem paranda; quod iam in Sabinis, molitione a solo educta, perfecimus. — Illud reliquum esse videbatur, ut quod iure tridentino hac in causa decretum praecipue est, clericos *ecclesiasticis disciplinis instituendos,* hoc ipsi Seminario nequaquam opus esset petere aliunde, sed sibimet liceret domestica inter septa praestare posse; ex quo praeterea largior illis usura temporis esset futura et salva melius regulae sanctae custodia. Haec Nobiscum reputantes, optantesque posse Nos eo amplius eiusdem iuventutis institutioni prodesse, induximus animum, ut disciplinam theologiae, quae ibi velut inchoata et compendiaria aliquandiu fuit, pleno quo decet modo et stabili, auctoritate Nostra constitueremus. — Itaque, ut visum est, sic hisce litteris edicimus et declaramus, velle Nos ad studia litterarum et philosophiae, quae in Seminario Vaticano coluntur, sacra theologiae disciplina in posterum accedat, ad eam plane rationem tradenda, quam saepenumero in simili re commendavimus, ex praescripto

nimirum Doctoris Angelici. Quare ad eius doctrinae cognatasque partes convenienter tractandas magisteria destinentur prudenti iudicio: in rei autem perpetuam tuitionem suppeditabit reditus certa vis pecuniae, quam eidem Seminario statuimus attribuere. Quod Nos tanto quidem libentius facimus quanto maiore tenemur spe, futurum sane, Deo bene iuvante, ut de hoc etiam benevolentiae Nostrae in dilectos filios testimonio, parem ipsi ac de collatis antea beneficiis amplioremque gratiam sedulitate et fructibus referant, ad praeclaram Ecclesiae matris laetitiam et Cleri Vaticani ornamentum.

Iamvero quae per has litteras a Nobis decreta sunt, ea rata et firma perpetuo maneant, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die XXV Iulii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
DESIDERATO MERCIER
ANTISTITI VRBANO
LOVANIVM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Tam gratum Nobis extitit quam quod gratissimum litterarum tuarum officium. Nam quum Nobis nihil antiquius sit, quam ut clerus solida scientia non minus quam virtute floreat, non poterat Nobis non placere vehementer consilium a te initum, tuisque litteris explicatum. Siquidem perutile atque opportunissimum fore intelleximus Belgicis dioecesibus Seminarium philosophicum, quod condere Lovanii moliris, Instituto superiori philosophiae thomisticae adiungendum. Hoc autem novo praesidio cum stabili eiusdem Instituti firmitati commode prospectum erit, tum nobilis palaestra patefiet Belgis iuvenibus qui in sortem Domini vocati sunt, iis praesertim qui celeri praestantes ingenio, optimam faciunt expectationem sui.

Sacris enim disciplinis, quibus eos imbui oportet, cumulum adiicient pleniore scientiae philosophicae instructu, quo destitui nequeunt qui contra religionis hostes tenentur catholicam veritatem tueri. Qua ex causa haud ambigimus quin, si egregium hoc inceptum perfeceris, cum de patria tua, tum de religione optime sis meriturus, multamque adepturus laudem penes cordatos piosque viros, praesertim penes sacros Antistites qui in Belgica ditione sunt, tuique beneficii maximos fructus percipient. Itaque te etiam atque etiam hortamur, ut eo quo spectas progredi contendas alacriter; Deumque rogamus, ut operi tuo propitius faveat ac successus det prosperos. Huius autem divinae benignitatis auspicem esse cupimus Apostolicam benedictionem, quam, paternae caritatis testem, tibi peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVII Iulii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

ADRIANO EPISCOPO SEDVNENSI

SEDVNVM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum praecipuas Nostras sibi vindicent curas quae ad rectam iuvenum, clericorum praesertim, institutionem attinent, intento volentique animo nuncia excepimus, nuper ad Nos delata, de studiorum Universitate catholica Friburgensi, quae toti Helvetiae decori et praesidio est, ut in ea solida floreat scientia religioni coniuncta. Quos autem sensus animi in Nobis ea nuncia excitarint, eos tibi potissime aperiendos duximus, quod senior inter Venerabiles Fratres qui helvetiis praesunt Ecclesiis, commodius potes quae tibi scripta sunt cum iisdem communicare. Atque imprimis quidem gratulari Nos vobiscum oportet, quum noverimus magnum illud gymnasium a pluribus celebrari, atque ita docentium et discentium studia enitere, ut multam sibi concilient laudem ab iis qui illuc accedunt, et quae ibi gerantur perspiciunt. Ab hoc sensu

gratulationis laeta spes seiungi nequit, quae iucundam Nobis ingerit salutarium fructuum, uberiorum in dies, expectationem. Verum quo certior ac firmior ea spes sit, facere non possumus quin tibi aliisque praedictis Venerabilibus Fratribus, nobile illud institutum maiorem in modum commendemus, potissime eam facultatem quae in cognitione versatur rerum divinarum, cui prae ceteris favere decet sacrorum Antistites. Scimus non paucos esse qui huic scientiae dant operum, eorumque augeri numerum, ceu ratio postulat ministerii Nostri, vehementer optamus; certe si foret imminuendus, non levis proinde a Nobis caperetur dolor. Quum vestra et gregum, quibus praeestis, summopere intersit ne id eveniat, libenter exceptum iri a vobis ducimus voces Nostras hortantes ut curam omnem, operam studiumque conferatis ad hoc Institutum tuendum, ac si fieri possit, ornandum et amplificandum: quo magis enim viget illud et floret, eo praeclarius actuosam fidem Helvetiorum catholicorum et sacerdotalem zelum vestrum ostendit. Interim Deum adprecati ut in opere tam illustri utilique provehendo, dextera sua potenti conatus adiuvet et industriam vestram, tibi aliisque Venerabilibus Fratribus, dioecesibus Helvetiae praepositis, nec non clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Augusti MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IOSEPHO EPISCOPO PATAVINO
PRAESIDI HONORARIO VNIONIS CATHOLICAE
SOCIALIBVS STVDIIS IN ITALIA EXCOLENDIS

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nobile propositum Unionis catholicae socialibus studiis excolendis, pridem Nobis probatum, de solemni agendo conventu, quarto exeunte saeculo ab America detecta, propediem Genuae peractum iri, ex grata epistola tua calendis Augustis data libenter comperimus. Quantopere Nobis cordi sit ut impigre naviterque, in Italia praesertim, ea studia colantur, non semel oblatam nacti occasionem testati sumus: ex quo facile intelliges quam ceperimus voluptatem ex litteris tuis nunciantibus spem laetam ostendi, frequentem hunc coetum fore, confluentibus illuc ex omni Italia viris dignitate praestantibus et

laude doctrinae. Plane in ea frequentia non modo pronum erit ut quaestiones, quas innuis, gravissimae, commode sciteque tractentur, sed etiam exemplum egregium et incitamentum sibi datum persentient omnes, quibus avitam fidem retinentibus aptum ingenium suppetit et tempus, ut serio applicent animos operamque dent disciplinis, quae sociales audiunt. Interest autem summopere eas explicari vulgarique e puris haustas fontibus traditionis maiorum, labe errorum expertes, qua scriptores ab Italia aeque ac catholica veritate alieni eas infecerunt. Fuit enim summa laus nostratium doctorum quod socialis scientiae principia maxima et doctrinas, iamdiu ab se quaesitas, recte exploratas habuerint, catholicae religionis facem praelucentem secuti. Et quoniam eiusmodi doctrinae in actione magis quam in mera rerum contemplatione versantur, hinc factum est, ut sapiens earum explicatio contulerit plurimum ad politiorem humanitatem civilemque cultum inducendum provehendumque, non fucatum illum, sed nobilis naturae hominum dignitati consentaneum. Iam vero quum Nobis persuasum sit, haec quae scripsimus, alte mentibus insidere eorum qui Genuensem coetum erunt celebraturi, merito confidimus uberem ex eo perceptum iri publicae utilitatis et salutis fructum. Itaque paterna caritate complexi egregios viros, qui huic coetui parando operam dedere, eosque qui invitantium vocibus annuentes, participes eius extiterint, propitia iis adprecamur divinae sapientiae lumina et gratiae caelestis auxilia; eorumque auspicem Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, prae-

dictis dilectis filiis, clero et fidelibus tuae vigilantiae concreditis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Augusti MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IOANNI BAPTISTAE PAGANVZZI
PRAESIDI COMITATVS PERMANENTIS
CONVENTVVM ET COMITATVVM CATHOLICORVM IN ITALIA
VENETIAS

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Saepenumero, oblatam nacti occasionem, ostendimus quam grata Nobis accidunt catholicorum virorum studia, qui in unum coacti, consiliis viribusque collatis, mala quibus nostra premitur aetas avertere, aut extenuare saltem contendunt. Id et denuo testari placet acceptis litteris tuis, quibus docemur Comitatum, qui operi praeest conventuum catholicorum in Italia, decimam congressionem indixisse Septembri proximo habendam. Nos autem certa spes tenet fore ut zelus et industria vestra, unde non pauca in communem patriam bona promanarunt, uberiores adhuc efferat in posterum fructus salutis: idque vero factum iri haud ambigimus si, prout consuevistis, omissis controversiis qua-

rum nulla est opportunitas, ad ea curam omnem operamque conferatis, quae publice vel privatim profutura sint. Atqui id vobis propositum esse intelligimus ex ea litterarum parte, quae argumenta praenunciat de quibus erit in conventu proximo agendum. Eminent enimvero in eo numero quae ad religionis praesidium decusque pertinent, ad sanctitatem morum, ad rectam iuvenum institutionem, ad scriptiones optimas in vulgus edendas, ad miseram levandam opificum conditionem, ad ferendam egenis opem, aliaque id genus ad quae conversas esse decet prudentium piorumque virorum sollicitudines. Ipsamet haec rerum agendarum gravitas et dignitas pollicetur quodammodo paria iis fore studia et diligentiam eorum qui comitiis istis aderunt. Quo magis autem haec deliberantium studia proficiant, adiutricem iis adprecamur caelestium gratiarum copiam, earumque in auspicium, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, comitatui, cui praees, ceterisque qui indictum conventum erunt vobiscum acturi, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII Augusti MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

DECRETVM

DE DIMISSIONE ABBATIALIS TERRITORII « FONTIS VIVI » EIVSQVE VNIONE DIOECESI PARMENSI

—

Cum R. P. Leopoldus Zelli, Abbas S. Pauli de Urbe e familia Benedictina Cassinensi. Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII exposuerit, se in finibus Dioecesis Parmensis ordinariam iurisdictionem in territorium seu Paroeciam Fontis Vivi cum titulo Abbatis Fontis Vivi obtinere, quae Paroecia seu territorium iam inde a saeculo decimosexto Abbatibus S. Pauli attributum, usque ad hoc tempus per Abbates S. Ioannis Evangelistae e Monasterio Benedictino Parmensi, quos Abbates S. Pauli vicarios suos in eo territorio deputaverant, administratum fuit: itemque exposuerit in hac conditione temporum, cum Abbas Generalis Romaricus Flugi d'Aspermont loco et nomine praedicti Abbatis S. Ioannis Evangelistae actu existentis, ob defectum sacerdotum aliasque iustas causas vicariam eam administrationem libere et expresse abdicaverit, sese in eam necessitatem adductum esse, ut iurisdictionem illam omnino dimittat, ac proinde eidem Sanctissimo Domino Nostro enixe supplicaverit, ut dimissione superius dicti territorii seu paroeciae benigne admissa,

illam a iurisdictione Abbatum S. Pauli de Urbe eximere et Dioecesi Parmensi, in qua continetur, et a cuius Episcopo illius necessitatibus facile et commode occurri potest, incorporare dignaretur, eadem Sanctitas Sua spirituali illorum incolarum bono prospicere cupiens, attentoque consensu ab omnibus et singulis interesse habentibus rite praestito, ad mei infrascripti Secretarii Sacrae Congregationis rebus consistorialibus praepositae relationem, oblatis ab Abbate S. Pauli de Urbe precibus in hunc qui sequitur modum censuit annuendum,

I.

Abbatiam S. Bernardi in Dioecesi Parmensi positam, cui nomen Fontis Vivi, obnoxiam in praesentiarum iurisdictioni Abbatis S. Pauli via Ostiensi, ab eius ordinaria iurisdictione cum omnibus et singulis in ea contentis Sanctitas Sua seiunxit et diremit, et in perpetuum Episcopali Ecclesiae et Dioecesi Parmensi, in qua existit, ita coniunxit, univit ac subiecit, ut deinceps Episcopi Parmenses pro tempore in ea ordinariam iurisdictionem pleno iure libereque exerceant.

II.

Episcopus Parmensis deinceps Abbas Abbatiae *S. Bernardi Fontis Vivi* nuncupabitur et erit, eoque titulo et honore in perpetuum gaudebit et fruetur.

III.

Novi fideles, qui ab iurisdictione iam dicti Abbatis transeunt ad Dioecesim Parmensem, iisdem iuribus, indultis, privilegiis potientur, quibus ceteri in ipsa Dioecesi gaudent atque fruuntur.

IV.

Hoc consistoriale Decretum perinde erit valiturum ac si litterae apostolicae in forma Brevis, sive sub Plumbo expeditae fuissent, nullo sive obreptionis sive subreptionis, sive alterius speciei cuiusvis vitio defectuve notandum aut infringendum; contrariis quibuscumque minime obstantibus.

V.

Harum litterarum executorem Sanctitas Sua R. D. Iosephum Burlenghi Protonotarium Apostolicum ad instar participantium deputavit, ut ipse iis quae praescripta sunt executioni mandandis det operam, iniuncta ipsi executori obligatione authenticum exemplar actorum quae ediderit, ad Sacram Congregationem Consistorialem intra duos menses transmittendi, ut in eiusdem Congregationis Tabulario asservetur.

VI.

Hoc autem Decretum iussit Sanctitas Sua expediri, et in acta eiusdem Sacrae Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, hac die 14 Augusti anno Domini 1892.

Carolvs Nocella Sac. Congr. Consist.
Secretarius

DECRETVM

DE TRANSLATIONE FESTI S. IOSEPH OB DOMINICAE PASSIONIS VEL HEBDOMADAE MAIORIS OCCVRSVM

Ex quo Summus Pontifex Pius IX beatum Ioseph purissimum Deiparae immaculatae Virginis sponsum atque Christi Domini Salvatoris nostri putativum patrem, universae Catholicae Ecclesiae Patronum constituit, antiqua Christifidelium pietas erga ipsum inclitum Patriarcham mirifice aucta est. Haec porro pietas, nova veluti addita flamma, ferventius exarsit postquam Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per suas encyclicas litteras, sub die xv Augusti anno mdccclxxxix datas, gloriosi eiusdem Patriarchae dignitatis praestantiam et validissimum apud Deum patrocinium celebravit, atque erga caelestem Patronum devotionem cohortationibus favoribusque inter fideles fovere subinde non destitit. Hinc factum est ut ad Apostolicam Sedem undique transmissae sint postulationes, quo amplioris in sacra liturgia cultus honores beato Ioseph tribuerentur.

Iamvero Sanctitas Sua, etsi de his supplicibus votis sibi delatis summo afficeretur gaudio, utpote quae popu-

lorum in dies succrescentem devotionem referrent; nihilominus eumdem Sanctum Patriarcham potiori liturgico cultu, qui ordinem immutaret iamdiu in Ecclesia sapientissime praestitutum, ditare minime censuit.

Verumtamen quum saepe saepius illius Festum XIV calendas Aprilis affixum, ob occursum Dominicae Passionis, vel Hebdomadae Maioris ea die recoli nequeat, ac proinde eius celebratio iuxta rubricas aliquando nimium protrahenda sit, ne id in detrimentum vertat singularis illius obsequii, quod suo caelesti Patrono universus catholicus Orbis una simul exhibet; Sanctitas Sua, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit ut iis annis, quibus praefatum Festum occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in Feriam secundam immediate sequentem, et quoties inciderit in Maiorem Hebdomadam, reponatur in Feria quarta post Dominicam in Albis, tamquam in sede propria: servato rubricarum praescripto quoad translationem festorum iisdem diebus occurrentium.

Hoc autem decretum promulgari atque in rubricis Breviarii ac Missalis Romani adiici praecepit. Die XV Augusti MDCCCXCII.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praefectvs

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Vincentio Nvssi S. R. C. *Secretario*
Ioannes Ponzi *Substitutus*

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ABBATI DE WESTMALLE MODERATORI GENERALI
MONACHORVM TRAPPENSIVM IN BELGIO

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum ea ratio sit religiosi instituti quod cum sociis tuis profiteris, ut alumnos suos ad perfectionis christianae fastigium perducat quum divinarum rerum contemplatione, tum operibus in proximorum bonum peractis, dignissimum illud rati sumus vocatione vestra quod in optatis esse novimus carissimi in Christo Filii Nostri Leopoldi II Belgarum Regis illustris, ac supremi Principis liberae regionis Congi. Scilicet quum ipsum minime lateat zelus et industria vestra, cupit speratque haud immerito plurimum utilitatis regionis eius incolis obventurum si illuc ex Belgica provincia Ordinis vestri deducatur colonia. Eadem spes et Nos tenet, si opus naviter susceptum fuerit; eoque firmior ea spes est quod novimus necessaria ad rem gerendam praesidia vobis minime defutura. Neque vero te ce-

lare volumus nobile hoc cogitatum eo proniore voluntate Nobis probari, quod intelligimus effectionem eius non modo ad humanioris cultus incrementum in iis regionibus ab Europa dissitis, sed etiam ad religionem amplificandam pertinere. Gratum itaque Nobis facies, si in proximis fratrum tuorum Comitiis, ea de re ita verba feceris ut eius gravitas et praestantia postulat; gratissimum vero Nobis accidet si sodalium suffragiis conscitum fuerit quod in votis Regis esse novistis. Auspicem interea et adiutricem ad rem prospere gerendam divini numinis gratiam vobis adprecamur, et paternae caritatis testem Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, et religiosis sodalibus, quibus praesides, universis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Augusti MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IOACHIMO IOSEPHO BERTHIER
FACVLTATIS THEOLOGICAE DECANO
IN VNIVERSITATE CATHOLICA FRIBVRGENSI

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum in notitiam Nostram pervenerit, Collegium theologicum istic institutum haud mediocre emolumentum alumnis afferre qui catholicum celebrant Athenaeum Friburgense, eiusque industriam vehementer commendari prudentium iudicio, nolumus te latere Nos eo nuncio magnopere fuisse delectatos. Intelligimus enim catholicum clerum eo solidiori scientia rerum divinarum imbutum iri, quo plenius ac penitius S. Thomae Aquinatis doctrinis fuerit imbutus. Dum autem tibi tuisque collegis gratulamur ex animo, vos hortamur etiam atque etiam ut constanter gradientes ea quam iniistis via, alacri animo in inceptis perstetis. Certa namque fiducia Nos tenet, operam curasque vestras in hoc ministerium collatas, non

minus utilitati auditoribus fore vestris, quam vobis laudi, solatio Nobis et decori catholicae Ecclesiae. Auspicem interim caelestis gratiae, quae vos sustentet et adiuvet, Apostolicam benedictionem tibi collegisque tuis peramantes impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Augusti MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

IOSEPHO BOVRIGAVD ABBATI S. MARTINI DE LIGVGÉ

ORD. S. BENEDICTI

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Agnovimus libenter ex obsequiosis litteris tuis adiectoque commentario, praeclarum opus neque exiguae molis a te cogitatum susceptumque fuisse, quod eo spectat ut plena habeatur historia rerum ab Ordine Sancti Benedicti in Galliis gestarum, ac penitus absolvatur quod vetustiores patres per opus inscriptum « Monasticon Benedictinum » inceperant quidem, sed imperfectum reliquerunt. Quare consilium a te initum, quum ad decus pertineat non modo meritissimi Ordinis tui, sed etiam totius Ecclesiae, cuius benefacta in hominum genus collustrare nova luce contendit, praecipua dignum commendatione censemus : imo non dubitamus quin nobile inceptum perficiatur feliciter. Siquidem probe perspectam habemus sodalium istius Ordinis singularem industriam et quam adepti

sunt laudem in historicis studiis excolendis; comperimus autem ex litteris tuis, te operi gerendo virum praefecisse apprime doctum, rerumque de quibus agitur scientissimum. Confidimus demum, tibi et iis, quorum ministerio usurus es, non defutura doctorum virorum suffragia et auxilia, imprimisque praesentem adfuturam divinam opem, quam tibi atque ipsis propitiam adprecamur. Huius porro auspicem esse cupimus Apostolicam benedictionem, quam tibi et ceteris qui adiutricem tibi operam conferent, totique religiosae familiae, cui praesides, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die II Septembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

PAVLO EPISCOPO MOGVNTINO

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae Nobis perlata sunt de solemni conventu catholicorum virorum e Germania universa, qui nuper Moguntiae actus fuit, ea Nos vehementer delectarunt. Agnovimus nempe frequentiam, praestantiam et studia congredientium paria fuisse nobilitati causae, quae ex dissitis locis eos in unum coëgerat, summamque fuisse omnium consensionem in iis consciscendis quae ad tuendam pertinent libertatem decusque Nostrum, et provehendis rei catholicae rationibus, quae a rei publicae commodis solidaque prosperitate seiungi non possunt. Haec plane fuerunt eiusmodi, quae molestiarum quas patimur levarent acerbitatem, Nobisque exploratiorem facerent constantiam firmitatemque in religionis studio, quae Germaniae fideles Nobis Nostrisque decessoribus iampridem commendavit. Iucunditatis sensum, quem exinde experti sumus, ideo tibi

protinus voluimus patefacere, ut tuo ministerio omnibus innotescat qui Moguntino conventui adfuere. Scimus enim gratum iis fore si noverint in hac temporum calamitate non leve in communem Parentem ex pietate sua profectum esse solatium. Porro hoc solatium augetur ex laeta spe, quam fovemus, fore ut uberrimi salutis fructus ex hac congressione promanent, eaque plurimum valeat ut arctius consociatis animis viribusque, Germani catholici ad ea opera pergant incumbere, quae fidei respondent quam prae se ferunt. Quo largior autem horumce fructuum copia sit, propitiam iis qui congressi sunt eorumque consiliis et operibus divinam adprecamur opem; cuius auspicem esse cupimus Apostolicam benedictionem, quam tibi, Venerabilis Frater, ceterisque qui huius conventus fuere participes, nec non clero et populo universo dioecesis, cui praesides, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Septembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

DE ROSARIO MARIALI

—

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Magnae Dei Matris amorem et cultum quoties ex occasione liceat excitare in christiano populo et augere, toties Nos mirifica voluptate et laetitia perfundimur, tamquam de ea re quae non solum per se ipsa praestantissima est multisque modis frugifera, sed etiam cum intimo animi Nostri sensu suavissime concinit. Sancta nimirum erga Mariam pietas, semel ut paene cum lacte suximus, crescente aetate, succrevit alacris valuitque in animo firmius: eo namque illustrius menti apparebat quanto illa esset et amore et honore digna, quam Deus ipse amavit et dilexit primus, atque ita dilexit, ut unam ex universitate rerum sublimius evectam amplissimisque ornatam muneribus sibi adiunxerit matrem. Eius autem bonitatis in Nos beneficentiaeque complura et splendida testimonia, quae sum-

ma cum gratia nec sine lacrimis recordamur, eamdem in Nobis pietatem et foverunt amplius et vehementius incendunt. Per multa enim et varia et formidolosa quae inciderunt tempora, semper ad eam confugimus, semper ad eam intentis oculis cupidisque suspeximus; omnique spe et metu, laetitiis et acerbitatibus, in sinu eius depositis, haec fuit assidua cura, orandi ab ea, Nobis vellet benigna in modum matris per omne tempus adesse et illud impetrare eximium, posse Nos ei vicissim deditissimam filii voluntatem probare. — Ubi deinde arcano providentis Dei consilio est factum, ut ad hanc Beati Petri Cathedram, ad ipsam videlicet Christi personam in eius Ecclesia gerendam, assumeremur, tum vero ingenti muneris gravitate commoti, nec ullâ sustentati fiducia virtutis Nostrae, subsidia divinae opis, in materna Virginis beatissimae fide, impensiore studio flagitare contendimus. Spes autem Nostra, gestit animus profiteri, quum in omni vita, tum maxime in supremo Apostolatu fungendo, eventu rerum numquam non habuit fructum vel levamentum. Ex quo spes eadem Nobis multo nunc surgit erectior ad plura maioraque, auspice illa et conciliatrice, expetenda, quae pariter saluti christiani gregis atque Ecclesiae gloriae felicibus incrementis proficiant. — Est igitur recte opportuneque, Venerabiles Fratres, quod incitamenta quaedam universis filiis Nostris, renovata per vos hortatione, adhibeamus, ut octobrem proximum, Dominae nostrae et Reginae augustae a *Rosario* sacrum, vividiore pietatis sollertia, quam necessitates ingravescentes exposcunt, studeant celebrare.

Quam multis et quibus corruptelarum modis nequitia saeculi eo fallaciter connitatur ut christianam fidem et, quae ipsam nutrit movetque in fructus, observantiam divinae legis, debilitet ac prorsus evellat ex animis, iam patet nimium : iamque passim dominicus ager, teterrima velut afflatus lue, ignoratione fidei, erroribus, vitiis propemodum silvescit. Quod vero ad cogitandum acerbius est, improbitati tam arroganti et noxiae tantum abest ut frena iniecta aut iustae sint poenae impositae ab iis qui possunt maximeque debent, ut immo saepius ex ipsorum vel socordia vel patrocinio augeri spiritus videantur. Inde est cum causa dolendum de publicis doctrinarum et artium palaestris sic deditâ opera constitutis, in quibus nomen conticescat aut vituperetur Dei ; dolendum de impudentiore in dies licentia quidlibet in vulgus edendi, quidlibet declamandi Christo Deo et Ecclesiae probrosum; neque ea minus dolenda consecuta in multis remissio et desidia catholicae professionis, quae si non aperta est a fide defectio, eo certe evasura procliviter est, cum fide nihil iam vitae habitu congruente. Quam qui perpendat maximarum rerum confusionem et labem, non ei profecto fuerit mirum, si late gentes divinae animadversionis pondere ingemiscant afflictae, metuque graviorum calamitatum anxiae trepidae teneantur.

Iamvero ad violatum Dei numen placandum, ad eamque afferendam quae misere laborantibus opus est sanationem, nihil sane valuerit melius quam pie perseveranterque precandi officium, modo sit cum studio et actione

christianae vitae coniunctum: quod utraque in parte ducimus per *mariale Rosarium* potissime assequendum. — Ab ipsa rei satis cognita origine, quam praeclara monumenta illustrant et commemoravimus Ipsi non semel, praepotens vis eius laudatur. Quo enim tempore Albigensium secta, integritatis fidei morumque specie quidem fautrix, re vera perturbatrix pessima et corruptrix, magno multis gentibus erat exitio, in eam consceleratasque factiones pugnavit Ecclesia, non copiis neque armis, sed interposita praecipue sacratissimi Rosarii virtute, cuius ritum ipsa Dominico patri Deipara tradidit propagandum; atque ita de omnibus magnifice victrix, suorum saluti, tum per eam, tum per similes deinceps procellas, exitu semper glorioso consuluit. Quamobrem in hoc rerum et hominum cursu quem conquerimur, luctuosum religioni, perniciosissimum rei publicae, pari omnes pietate sanctam Dei Genitricem communiter implorare exorare oportet, ut eamdem eius Rosarii virtutem secundum vota laetemur experti. — Enimvero quum precando confugimus ad Mariam, ad Matrem Misericordiae confugimus, ita in nos affectam, ut qualicumque necessitate, ad immortalis praesertim vitae adeptionem, premamur, illico nobis et ultro, ne vocata quidem, praesto sit semper, atque de thesauro largiatur illius gratiae qua inde ab initio donata est plenâ copia a Deo, digna ut eius mater existeret. Hac scilicet gratiae copia, quae in multis Virginis laudibus est praeclarissima, longe ipsa cunctis hominum et angelorum ordinibus antecellit, Christo una omnium proxima: *Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tan-*

tum de gratia quod sufficit ad salutem multorum: sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum; et hoc est in Christo et in Beata Virgine [1]. Ei nos igitur, quum gratia plenam angelico praeconio salutamus, eamdemque iteratam laudem in coronas rite connectimus, dici vix potest quam gratum optatumque fecerimus: toties enim a nobis memoria quasi excitatur tum dignitatis eius excelsae, tum initae a Deo per ipsam humani generis redemptionis; unde etiam commemorata pendet divina et perpetua necessitudo, qua ipsa cum Christi gaudiis et doloribus, opprobriis et triumphis tenetur in regendis hominibus iuvandisque ad aeterna. Quod si Christo benignissime placuit tantam nostri praeseferre similitudinem, seque hominis filium atque adeo fratrem nostrum dicere et praebere, quo testatior sua in nos misericordia patesceret, *debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret* [2]; Mariae non aliter, ex eo quod Christi Domini eiusdemque fratris nostri electa est mater, hoc supra matres omnes singulare inditum est, ut misericordiam nobis proderet effunderet suam. Id praeterea si debemus Christo quod nobiscum ius sibi proprium quodammodo communicarit, Deum vocandi et habendi patrem, eidem similiter debemus communicatum amantissime ius, Mariam vocandi et habendi matrem. Quando autem natura ipsa nomen matris fecit dulcissi-

[1] S. Th. *op.* VIII *super salut. angelica.*

[2] *Hebr.* II, 17.

mum, in eaque exemplar quasi statuit amoris teneri et providentis, lingua quidem haud satis eloqui potest, at probe sentiunt piorum animi, quanta in Maria insideat benevolentis actuosaeque caritatis flamma, in ea nimirum, quae nobis, non humanitus, sed a Christo est mater. Atque multo illa magis nostra omnia habet cognita et perspecta; quibus ad vitam indigeamus praesidiis, quae impendeant publice privatim pericula, quibus in angustiis in malis versemur, quam in primis sit acris cum acerrimis hostibus de salute animae dimicatio: in his autem aliisve asperitatibus vitae, multo ipsa potest largius, et vehementius exoptat, solatium, robur, auxilia omne genus carissimis filiis afferre. Itaque ad Mariam non timide non remisse adeamus, per illa obsecrantes materna vincula, quibus cum Iesu itemque nobiscum coniunctissima est; praesentem eius opem quo precationis modo significavit ipsa et peracceptum habet, religiosissime invocemus: tum erit merito in tutela optimae matris securis laetisque animis conquiescendum.

Ad hanc Rosarii commendationem ex precatione ipsa profectam, accedit ut in eodem insit facilis quidam usus ad summa fidei christianae capita suadenda animis et inculcanda: quae quidem alia est nobilissima commendatio. — Est enim maxime ex fide quod homo recte certeque gradus facit ad Deum, eiusque unius maiestatem immensam, imperium in omnia, summam potentiam, sapientiam, providentiam discit mente et animo revereri: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inqui-*

rentibus se remunerator sit [1]. Quoniam porro aeternus Dei Filius humanitatem suscepit, praeluxitque nobis et adest velut viá, veritas, vita, idcirco fides nostra praeterea complectatur necesse est Trinitatis divinarum personarum augustae et Unigenae Patris hominis facti alta mysteria: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum* [2]. Permagno quidem beneficio donavit nos Deus, quum fide hac sancta donavit: cuius munere non solum supra humana erigimur, tamquam speculatores effecti et consortes divinae naturae, sed habemus hoc amplius causam praestantis meriti ad praemia caelestia; proptereaque spes nostra alitur et confirmatur, fore aliquando ut Deum, non iam per adumbratas rerum imagines, sed aperto in lumine contingat intueri ipsum ipsoque frui ultimo bono perpetuum. At vero christianus homo tam variis distinetur vitae curis tamque evagatur facile ad levia, ut, nisi crebra admonitio succurrat, quae maxima et pernecessaria sunt oblivione lenta dediscat, ob eamque causam eius oblanguescat atque etiam intercidat fides. Quae nimis magna ignorantiae pericula ut a filiis suis Ecclesia prohibeat, nulla sane vigilantiae diligentiaeque praetermittit consilia, neque ultimum est fidei adiumentum quod ex mariali Rosario petere consuevit. Quippe in eo, cum pulcherrima fructuosaque prece certo ordine continuata, recolenda succe-

[1] *Hebr.* XI, 6.

[2] Ioann. XVII, 3.

dunt et contemplanda praecipua religionis nostrae mysteria: illa primum quibus *Verbum caro factum est,* et Maria, virgo integra et mater, materna illi officia sancto cum gaudio praestitit; tum Christi dolentis aegritudines, cruciatus, supplicium, quorum pretio salus generis nostri peracta; tum eiusdem plena gloriae mysteria, et de morte triumphus, et ascensus in caelum, et demissus inde divinus Spiritus, atque Mariae sideribus receptae splendida claritudo, denique cum gloria Matris et Filii consociata caelitum omnium gloria sempiterna. — Haec rerum plane admirabilium contexta series in fidelium mentes frequenter assidueque revocatur, et fere in conspectu explicata proponitur: id quod Rosarium sancte colentibus aspergit animos nova semper quadam pietatis dulcedine, perinde afficiens et movens quasi vocem ipsam exciperent indulgentissimae Matris, eadem aperientis mysteria multaque salutariter alloquentis. — Quare non id nimis affirmatum videbitur, quibus et locis et familiis et gentibus honorem pristinum marialis Rosarii consuetudo retineat, nullam ibi iacturam fidei ab ignorantia pestiferisque erroribus metuendam.

Sed alia non minus praestat, quam Ecclesia filiis suis magnopere a Rosario quaerit, utilitas; ea est, ut ad fidei sanctae normam et praescripta vitam moresque suos diligentius componant. Si enim, ut omnes tenent divinum effatum: *Fides sine operibus mortua est* [1], eo quia fides

[1] Iac. II, 20.

vitam ducit a caritate, caritas autem in ubertatem exit sanctarum actionum; nihil profecto emolumenti ad aeterna christianus homo percepturus erit ex fide sua, nisi rationem vitae secundum eam direxerit: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* [1] Istud immo hominum genus reprehensionem Christi iudicis multo graviorem incurret, quam qui christianae fidei disciplinaeque sint misere ignari: qui non, ut illi perperam, aliter credunt aliter vivunt, verum quia carent Evangelii lumine, habent ideo quamdam excusationem aut minore sunt certe in noxa. — Quo igitur fides quam profitemur consentaneâ fructuum laetitia melius florescat, simul ex mysteriis ipsis quae mens considerando persequitur, ad virtutum proposita mire animus inflammatur. Opus nempe salutiferum Christi Domini, quale nobis eminet ac nitet in omnes partes exemplum! Magnus omnipotens Deus, urgente in nos nimia caritate, ad infimi hominis conditionem sese extenuat; nobiscum velut unus de multis versatur, amice colloquitur, singulos et turbam ad omnem erudit docetque iustitiam, excellens sermone magister, auctoritate Deus. Omnibus omnino se dat beneficum; e morbis corporum relevat languentes, morbisque animorum gravioribus paterna medetur miseratione: quos vel aerumna exercet vel sollicitudinum moles fatigat, eos in primis blandissime compellat et vocat: *Venite ad me omnes qui laboratis et*

[1] *Ib.* 14.

onerati estis, et ego reficiam vos [1]. Tum ipse interquiescentibus nobis in complexu suo, de illo spirat mystico igne quem ad homines detulit, deque sui mansuetudine animi ac submissione benigne insinuat, quarum usu virtutum nos optat verae solidaeque pacis, cuius est auctor, participes: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris* [2]. Sed ipse tamen, pro ea sapientiae caelestis luce et insigni beneficiorum copia quibus homines demereri debuerat, hominum subit odia iniuriasque atrocissimas, atque sanguinem et spiritum cruci suffixus profundit, nihil spectans enixius quam ut illis pariat sua morte vitam. — Talia peramantis Redemptoris nostri monumenta carissima nequaquam fieri potest ut quispiam attenta secum cogitatione reputet et commentetur, neque grata adversus eum voluntate exardescat. At verius probatae vis fidei tantum efficiet ut, illuminata hominis mente et animo vehementer impulso, totum prope rapiat ad ipsius Christi vestigia per omne discrimen sectanda, ad eam usque Paulo dignam obtestationem: *Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* [3]... *Vivo autem iam non ego; vivit vero in me Christus* [4].

[1] Matth. XI, 28.
[2] *Ib.* 29.
[3] *Rom.* VIII, 35.
[4] *Gal.* II, 20.

Ne vero ad exempla quae Christus, homo idemque Deus, de se exhibet sane quam maxima, nativae nos imbecillitatis conscientia absterriti deficiamus, una cum mysteriis eius mysteria Matris sanctissimae habemus oculis mentis ad contemplandum oblata. E regia Davidis stirpe est ea quidem progenita, cui tamen nihil iam est reliquum de maiorum vel opibus vel amplitudine; quae vitam in obscuro agit, humili in oppido, humiliore in tecto, recessu ipso et rei familiaris tenuitate eo contenta magis quod liberiore potest animo se tollere ad Deum eidemque summo desideratissimo bono penitus adhaerere. Atqui est cum ipsa Dominus, quam complet et beat gratiâ sua; ipsaque, allato caelesti nuntio, designatur, ex qua, virtute agente Spiritus Sancti, expectatus ille Servator gentium nostra in humanitate sit proditurus. Celsissimum dignitatis gradum quanto plus ea miratur et muneri tribuit potenti misericordique Deo, tanto se, nullius sibi conscia virtutis, deprimit humilius, seque Dei ancillam, eius dum fit mater, prompto animo edicit et devovet. Quod autem pollicita sancte est, id alacris sancte praestat, iam tum perpetua cum Iesu filio, ad gaudia ad lacrimas, communione vitae instituta. Sic tale fastigium gloriae, ut nemo alius nec homo nec angelus, obtinebit, quia cum ipsa nemo erit virtutum promeritis conferendus; sic eam superi et mundani regni manet corona, quod invicta futura sit regina martyrum; sic in caelesti Dei civitate per aeternitatem omnem coronata assidebit ad Filium, quod constanter per omnem vitam, constantissime in Calvaria, redundantem tristitia cali-

cem sit cum illo exhaustura. — Ecce autem in Maria virtutis omnis exemplar vere bonus et providens Deus constituit nobis aptissimum: eamque oculis et cogitatione intuentes, non animos, quasi divini numinis fulgore perstricti, despondemus, sed ex ipsa allecti communis propinquitate naturae, fidentius ad imitationem enitimur. Cui studio si nos, ea maxime adiuvante, totos dediderimus, licebit profecto virtutis tantae sanctitatisque lineamenta saltem exprimere, et quam admirabiliter tenuit ad omnia Dei consilia aequabilitatem vitae, referentes, ipsam licebit subsequi ad caelum. — Iam nos peregrinationem eo susceptam, quamvis aspera multisque sit difficultatibus impedita, animose fortiterque insistamus; neve molestiam inter et laborem cessemus tendere ad Mariam suppliciter manus in eas Ecclesiae voces: *Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle;... illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Vitam praesta puram, iter para tutum, ut videntes Iesum, semper collaetemur* [1]. At illa, quae, tametsi nullam in se passa, debilitatem naturae nostrae vitiositatemque pernoscit, quaeque matrum omnium est optima et studiosissima, quam nobis opportune prolixeque subveniet, quanta et caritate reficiet et virtute firmabit! Per iter euntibus, divino Christi sanguine et Mariae lacrimis consecratum, certus erit nobis nec difficilis exitus ad societatem quoque beatissimae eorum gloriae fruendam.

Ergo Rosarium Mariae Virginis, in quo apte utili-

[1] *Ex sacr. liturg.*

terque habentur coniuncta et eximia precationis formula et idoneum fidei conservandae instrumentum et insigne specimen perfectae virtutis, dignum plane est quod veri nominis christianis sit frequenter in manibus piaque recitatione et meditatione colatur. — Haec autem commendata singulariter volumus ei *Consociationi*, quam nuper etiam laudavimus legitimeque probavimus, *a Sacra Familia* appellatam. Si quidem illud Christi Domini mysterium, quod vitam intra parietes Nazarethanae domus tacitam abditamque diu transegerit, eidem Consociationi dat causam, ita ut ad exemplar Familiae sanctissimae divinitus constitutae sese christianae familiae curent sedulo conformare, iam eius perspicua est cum Rosario singularis quaedam coniunctio; qua praesertim attinet ad mysteria gaudiorum, in eo ipso conclusa quum Iesus, post declaratam in templo sapientiam suam, cum Maria et Iosepho *venit Nazareth et erat subditus illis,* cetera quasi instruens mysteria, quae hominum doctrinam et redemptionem propius efficerent. Quare videant Consociati omnes quam sit suum, cultores Rosarii atque etiam propagatores sese diligentes praebere.

Quantum est ex Nobis, rata firmaque habemus sacrae indulgentiae munera, superioribus annis concessa, eorum gratiâ qui octobrem mensem rite ad ea ipsa praescripta egerint: vestrae autem, Venerabiles Fratres, auctoritati et sollertiae valde tribuimus, ut par atque antea in catholicis gentibus caleat religio et contentio sancta ad Virginem, Christianorum Adiutricem, Rosarii prece colendam. —

At vero, unde exorsa est cohortatio Nostra, inde placet ad exitum pergat, iterum apertiusque testando quem fovemus erga magnam Dei Genitricem animum et memorem beneficiorum et spei plenum laetissimae. Suffragia christiani populi ad eius aras pientissime supplicantis aeque rogamus Ecclesiae causâ, tam adversis turbulentisque iactatae temporibus, aeque rogamus causâ Nostra, qui devexa aetate, defessi laboribus, difficillimis rerum constricti angustiis, nullis hominum fulti subsidiis, ipsius gubernacula Ecclesiae tractamus. Nempe in Maria, potente et benigna matre, spes Nostra exploratior quotidie augescit, iucundius arridet. Cuius deprecationi si plurima eaque praeclara beneficia a Deo accepta referimus, id quoque effusiore gratia referimus quod iamiam detur quinquagesimum diem anniversarium attingere ex quo sumus episcopali ordine consecrati. Magnum sane hoc est respicientibus tam diuturnum pastoralis muneris spatium, quantum praecipue, quotidiana sollicitudine agitatum, adhuc impendimus christiano gregi universo regendo. Quo Nobis in spatio, ut est hominum vita, ut sunt Christi et Matris mysteria, nec defuerunt gaudiorum causae, et plures acerbaeque admixtae sunt causae dolorum, gloriandi in Christo praemiis quoque delatis: eaque Nos omnia, demissa Deo aequaliter mente gratoque animo, convertere ad Ecclesiae bonum et ornamentum studuimus. Nunc iam, nec enim dissimiliter reliqua vita decurret, si vel nova affulgeant gaudia vel impendeant dolores, siqua gloriae accessura sint decora, eâdem Nos mente eodemque animo con-

stantes, et gloriam unice appetentes a Deo caelestem, davidica illa iuvabunt: *Sit nomen Domini benedictum: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* [1]. Equidem a filiis Nostris, quorum in Nos videmus studia tam pie et benevole incensa, potius quam gratulationes et laudes, summas Deo optimo grates precesque et vota magnopere expectamus; maxime laetati si hoc Nobis impetrent, ut quantum virium et vitae supersit, quantum resideat auctoritatis et gratiae, tantum Ecclesiae omnino accidat salutare, in primis ad infensos et devios, quos iamdudum vox Nostra invitat, reducendos reconciliandos. Omnibus autem dilectissimis filiis, ex proxima, Deo donante, faustitate et laetitia Nostra, iustitiae, pacis, prosperitatis, sanctimoniae, bonorum omnium affluant munera: hoc paterna caritate a Deo adprecamur, hoc eloquiis eius commonemus: *Obaudite me,... et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate: quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flores quasi lilium, et date odorem et frondete in gratiam, et collaudate canticum et benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini eius magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum et in canticis et citharis,... in omni corde et ore collaudate et benedicite nomen Domini* [2].

Quibus consiliis et optatis si forte illuserint nefarii homines, qui *quaecumque ignorant, blasphemant*, parcat illis clementer Deus; ut ipse autem propitius, exo-

[1] Ps. CXII, 2; CXIII, 1.

[2] Eccli. XXXIX, 17-20, 41.

rante sacratissimi Rosarii Regina, obsecundet, habete auspicium, Venerabiles Fratres, idemque pignus benevolentiae Nostrae, Apostolicam benedictionem, quam singulis vobis et clero populoque vestro peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Septembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
DAVIDI ARCHIEPISCOPO TAVRINENSI
ALIISQVE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS FOSSANVM CONGRESSIS
AD SAECVLARIA SOLEMNIA INSTITVTIONIS
FOSSANENSIS DIOECESIS

—

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Plenas officii et amoris litteras, quas Augusto mense exeunte coniunctim ad Nos dedistis, benigne accepimus ac legimus lubentissime. Atque ipsa quidem congressio vestra et consociatio ad celebranda saecularia solemnia institutionis Fossanensis dioecesis, non levem Nobis voluptatem attulit; prodebat enim luculenter pietatem vestram studiumque divini cultus provehendi, nec non fraternam animorum coniunctionem, quae convenit mirifice et expedit Ecclesiae pastoribus. Multum porro accessit ad laetitiam Nostram ex ea parte scriptionis vestrae, qua vos huic Apostolicae Sedi addictissimos profitemini: gaudium denique Nostrum cumulavit peractorum solemnium narra-

tio, in quibus populus frequens et impiger, zeli vestri ductu et impulsu, plura et illustria praebuit excitae fidei et pietatis indicia. Dum itaque diviti in misericordia Deo maximas agimus gratias et laudes, vobis ex animo gratulamur quod operam curasque vestras perampli laetique fructus sint consequuti: futurum autem speramus, ut vestrum quisque redux in dioecesim suam salutares fructus capere pergat e sato semine verbi Dei similes iis, quos coniunctim in hac praegressa Fossanensium solemnium celebritate tulistis. — Deum interea adprecati, ut largiora in dies gratiae suae munera in vos effundat gregesque vestros, Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, clero et fidelibus curationi vestrae concreditis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Septembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IOSEPHO MARIAE LAGRANGE
SODALI DOMINICANO
HIEROSOLYMAM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Hierosolymae, in coenobio stephaniano Ordinis Praedicatorum, scholam studiis bibliorum sacrorum colendis ubi primum accepimus constitutam, auctoris propositum, summi videlicet magistri eiusdem Ordinis, propensa omnino voluntate probavimus, adiectis votis ut bene utiliterque eveniret. Eiusmodi sane disciplinae ornamentum urbs ista, quae fuit regia sedes electi a Deo populi maximarumque rerum testis et pars nobilissima, suo sibi iure exposcere videbatur, atque multa vicissim commoda ad sacrae antiquitatis monumenta exploranda et lustranda de se polliceri. — Nunc vero laetitia est Nobis, audito rem

ipsam, te, dilecte fili, moderante, opemque sodalibus conferentibus, prospero ire cursu coepisse, tum cultorum frequentiâ, eorumque non ex hominibus tantum sacri ordinis neque ex catholicis tantum, tum etiam bonis fructibus consecutis. Nec enim aliter augurari quisquam poterat ex sua ipsa scholae ratione plane singulari. In qua, praeter eam rerum copiam multiplicem, quae in hoc studiorum genere attinent ad cognitionem, omnia habentur prompta et parata quae ad usum quodammodo attineant, institutis communiter ordinatimque et in vicinia discursibus et per omnem regionem itineribus ad loca praecipue commemorabilia. Inde autem, quod dubitandum minime erat, ipsa res biblica non levia cepit incrementa, maioraque expectat; quae ut census publicus fiant, recte est a vobis susceptum, iamque Parisiis initum, consilium edendi certis temporibus commentaria, *Revue biblique* inscripta, advocata quoque aliorum opera, quotquot in eisdem rebus eruditione praecellunt. Quod si consilia et facta vestra doctorum hominum, quibus cordi est sacrarum decus disciplinarum, consentientem laudem merito obtinuerunt, haudquaquam debent laude carere Nostra, qui eadem studia multis de causis quam qui maxime aestimantes, nullam sinimus praeterlabi occasionem ad ipsa excitanda et fovenda. — Hac igitur in re, praestantiae quidem et utilitatis plena, sed admodum laboriosa, augere te animos, dilecte fili, tuosque iubemus, auctoritate fretos et comprobatione Nostra: auspicium vero divini auxilii habete laetissimum ex Apostolica benedictione, quam sin-

gulis vobis et fautoribus alumnisque vestris, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Septembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ANDREAE FRÜHWIRTH
SVMMO MAGISTRO ORDINIS PRAEDICATORVM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae nuper, capta occasione ex Litteris Nostris Encyclicis de Rosario Mariali, exhibenda curasti officia, et tua et universi, cui praees, Ordinis, iucundissime Nos affecerunt. Quod enim Dominici sancti filios magna benevolentia complectimur, eaque causa patrocinium Ordinis proprium esse Nobis voluimus, multo est ideo gratius tam alacres vos videre et ad omne pro Ecclesia discrimen, ut confirmastis modo, subeundum paratos. — Scilicet memorias repetentes patrum, hoc diligenter advertite, multa eos ad salutem et doctrinam christiani populi peregisse, sibique meritorum segetem peperisse insignem duplici praesertim usos subsidii genere, disciplina Aquinatis et Mariali Rosario. — Nos pariter ad gravia saeculi damna sarcienda reducendosque homines in

viam veritatis et verae vitae, utrumque maxime subsidium contendimus adhibere; quae nihil quidquam de virtute pristina remisisse ipsi declarant recentes fructus. — Verum, quod Nosmet saepius commonuimus, urgeri quotidie coepta, necessitate quotidie urgente, eisdem adiumentis omnino oportet: in quo vos ex instituto vestro patrumque exemplis aequum est eniti et elaborare cum primis. Sic igitur omni ope efficite, ut exspectationem Nostram non sustineatis modo, sed cumulatius in dies probetis: iamque, per solemnia augustae Dominae nostrae a Rosario, late poterit uberrimeque sollertia et pietas vestra, continuo octobri, certare. — Benignus aspiret Deus gratia sua, et adiuvet laborantes et compleat labores: in cuius rei auspicium, atque in pignus novum paternae benevolentiae, tibi, dilecte fili, universoque Ordini Apostolicam benedictionem effuse in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Septembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE HONORIS INSIGNIBVS
CANONICIS ECCLESIAE CATHEDRALIS FOROLIVIENSIS
COLLATIS

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Venerabilis Frater Dominicus Episcopus Foroliviensis retulit ad Nos, nuper per Apostolicas similiter litteras die II mensis Iunii vertentis anni datas Cathedralis Ecclesiae suae Capituli Canonicis nonnulla dignitatis insignia fuisse a Nobis concessa, ea tamen adiecta lege, nimirum ut iis in templo tantum Cathedrali uterentur. Verum cum huiusmodi conditio gravi absque incommodo nequeat impleri, universi Capituli votis permotus, enixas Nobis ipse Antistes preces adhibuit, ut simul et conditionem illam immutare, et ad potiorem eorumdem Canonicorum decorem, fasciae usum de benignitate Nostra ipsis addere velimus. Nos vero Foroliviensis templi Cathedralis vetustatem et splendorem animo repetentes, atque operosam Canonicorum eorumdem in Dominico agro excolendo diligentiam, precibus huiusmodi annuendum propensa vo-

luntate existimavimus. Quare omnes et singulos quibus Nostrae hae litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Nostra auctoritate, vi praesentium, perpetuum in modum concedimus, ut omnes et singuli in Foroliviensis Cathedralis Ecclesiae Capitulum nunc et in posterum adlecti Canonici, quae honoris ac dignitatis insignia per superiores Apostolicas litteras adepti sunt, non in Cathedrali templo tantummodo, verum etiam intra totius Foroliviensis dioecesis fines gestare queant; simulque ut ipsis quotiescumque utantur talari veste nigra, cum fimbriis et globulis violaceis, fasciam quoque induendi ius sit. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXVII Septembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. CARD. VANNVTELLI

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS

FRANCISCO MION VICARIO CAPITVLARI ET CANONICIS PAROCHIS

ALIISQVE SACERDOTIBVS

PATRIARCHALIS ECCLESIAE VENETIARVM

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Accepimus ex vestris litteris xv. calendas octobris datis, vos in sacrum secessum ad instaurandas veritatum aeternarum cogitatione animorum vestrorum vires convenisse, et ad audiendam vocem sermonum Domini, qui in solitudine loqui ad fidelium suorum corda delectatur. In hoc secessu, uti significastis, aliquid desideraverunt oculi vestri, cum vos Pastore ac Patre, cuius imago moestis mentibus occursabat, orbatos respiceretis. At ea non est orbitas vestra, dilecti filii, ut patrem omnino putetis amisisse; adest enim vobis Pater quem hoc nomine iure appellatis, adest qui in commissa sibi dominici gregis universi cura, paternam de vobis sollicitudinem gerit, vestros labores videt, vestris consulere necessitatibus stu-

det, atque intimis pietatis sensibus, quos declarastis, hisce litteris paternae caritatis vicem et officium rependit. Pietatis autem vestrae significationibus, dilecti filii, admixti etiam fuerunt communis doloris sensus ob illatam in civitate ista Apostolicae Sedi iniuriam, monumento dedicato memoriae hominis, qui et religiosae disciplinae immemor, et supremae in Ecclesia auctoritatis seditiosus oppugnator et contumax extitit. Hunc dolorem vestrum omnino iustum agnoscimus, nec fieri potuit, ut quod vobis grave accidit, id non etiam Nos acerbe ferremus, videntes adeo adversarum partium odia in Ecclesiam exardescere, ut non satis sit indignas inimicitias cum Apostolica Sede exercere, nisi etiam iis qui se in illam praebuere infensissimos, publici decernantur honores, atque ita faces ad eam exagitandam late improbis admoveantur. Dum haec vehementer dolemus, facere non possumus, dilecti filii, quin vos, qui partem in Nostris acerbitatibus sumitis, ad ea perficienda cohortemur, quae, ut proposita a vobis edita ostendunt, vestrarum partium, et muneris vestri esse in Nostris laboribus intelligitis. Oportet enim quam maxime hoc tempore sacrorum praesertim administros ea vincula constanter et tenaciter retinere, quae ipsos cum Apostolica Sede coniungunt, in qua Christus statuit magisterium veritatis, unitatis Ecclesiae centrum, et inexpugnabile Ecclesiae ipsius fundamentum: oportet eos pro sua parte vigilare ad communem salutem, strenuamque navare operam Nobiscum ad catholicam doctrinam, Ecclesiae libertatem, Apostolicae Sedis iura, sanctamque mo-

rum disciplinam tuendam. In his impigre et viriliter agite, dilecti filii, fidentes in Deo, qui iuxta est iis qui tribulato sunt corde, patientiam consolationem et auxilium impertiens, quo saeculum vincant et repromissiones adipiscantur. Nos interea haec divina munera vobis a Deo supplices exposcimus, ut quantum de optima voluntate vestra, tantumdem etiam de eius fructibus laetemur; eorumque munerum auspicem, et pignus praecipuae caritatis Nostrae esse cupimus Apostolicam benedictionem, quam vobis singulis, ceteroque clero et fidelibus istius Patriarchalis Ecclesiae, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Septembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS APVANAE DIOECESIS PAROCHIS
CERTA DIGNITATIS INSIGNIA CONCEDVNTVR

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romanorum indulgentiâ Pontificum peculiaria dignitatis insignia eis deferuntur sacrorum administris, qui conspicuis in templis Deo operantur, ut siquidem ii externa decora adepti, internis virtutibus studeant enitere, et ad sacra ministeria integre implenda benignitatis etiam Apostolicae incitamento impellantur. Quare cum Venerabilis Frater dioecesis Apuanae Antistes exponendum Nobis curaverit, in votis sibi admodum esse, ut parochis Civitatis itemque titularibus dioecesis, nec non simplicibus, quaedam insignia gestandi facultatem de Apostolica venia faciamus; Nos huiusmodi votis obsecundandum libenter censuimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus Nostrae hae litterae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et abso-

lutos fore censentes, auctoritate Nostra Apostolica, praesentium vi, supradictis Parochis Civitatis et titularibus dioecesis Apuanae pro tempore existentibus, perpetuum in modum concedimus, ut dum sacris muneribus dant operam, in choro scilicet, in comitiis, sacrisque pompis intra dictae dioecesis Apuanae limites, induant lineum amiculum seu mozzettam violacei coloris cum roccheto, quovis vero tempore latus suum serica nigra fascia praecingant. Parochis autem simplicibus concedimus ut item lineum amiculum induant seu mozzettam nigri coloris cum extremis oris violacei coloris, et similiter latus suum fascia, ut diximus, praecingant. Decernentes has litteras Nostras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die I Octobris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ALPHONSO MARIAE EPISCOPO CAESENATENSI
CAESENAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ingenii fructus doctrinaeque tuae de re philosophica, quos dono subinde perhumaniter mittis, Nobis admodum probari alias testati sumus. Quem vero non ita pridem accepimus, de *intellectu,* ut loquuntur, *agenti et possibili,* eo vel gratior extitit, non modo propter locum ipsum a te tractatum, qui in eo genere ex praecipuis est, sed quod etiam nomini inscriptum et memoriae volueris desideratissimi germani fratris Nostri Iosephi Cardinalis. Tibi enim, ut bene novimus, magna cum illo intercessit et animorum coniunctio et similitudo studiorum: cuius tu virtutem et doctrinam si plurimi, ut profiteris, fecisti et facis, non ille te minus dilexit et coluit, atque etiam hortator gravissimus fuit ut per vestigia Doctoris Angelici ad solidam vereque fructuosam nitereris sapientiam. —

Itaque ex animo gratulamur tibi et amorem sapientiae tantum, quo in episcopalibus ipsis muneribus aptum ad eas disciplinas otium nancisceris, et sedulitatem tam laboriosam, qua iuventutis praesertim sacrae potiorem institutionem accuras. Quantopere Nos optemus ut eaedem disciplinae provehantur in clero et proficiant, nimis apertum est: ab exemplo autem et sollertia tua esse istic uberiora in dies incrementa habituras, rectissime est quod speremus. — Spem Nostram tuamque operam perficiat ope sua Deus, qui omnis sapientiae fons est et corona: cuius rei auspicium esto Apostolica benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, et clero populoque tuo summa cum benevolentia impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die II Octobris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
LVDOVICO MARTIN
PRAEPOSITO SOCIETATIS IESV
LOYOLAM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Suffragatione patrum, qui in memori ista natali sede Parentis legiferi rite sunt congregati, te societatis Iesu delectum esse Praepositum, maturrime Nos, ex nuntio primum electrico, tum ex litteris eo ipso die, postridie calendas, a te datis accepimus, idque non mediocrem Nobis laetitiam fecit. Tale quidem, dilecte fili, divinum de te consilium ille quodam modo praesenserat vir prudentissimus cuius in locum succedis; qui te, bene aptum ad societatem regendam quum perspexisset, iampridem in procurationis partem advocaverat, teque, ut vestrae sunt leges, idem designavit qui vicario munere post se fungereris. Itaque, tam aperta providentis Dei significatione, numini et voluntati Eius securus acquiesce, in eoque fac

spem tuam constituas et confirmes in dies fidentius: nempe Societati vestrae, ad maiorem eius nominis gloriam tantopere contendenti, omnibus ipse ut antehac subsidiis benignissime aderit, atque tibi difficile munus difficillimo tempore obeunti opem sane afferet singularem. — Magna quidem, ut nostis, voluntate semper affecti fuimus ad Societatem Iesu, quacum grati etiam animi coniunctione tenemur: eiusdem autem reputantes et multa in Ecclesiam promerita et summam obtemperationem studiumque erga hanc B. Petri Sedem, aeque ab ipsa in posterum eoque amplius ad maximas Ecclesiae rationes pollicemur Nobis, te praeside, et expectamus. — Iamvero copiam coelestis luminis, quam tibi sociisque singulis ad suffragia convenientibus precatione Nostra exoptavimus, iterum exoptamus a Deo largiorem, ut quae, secundum praescripta vestra, congressis adhuc vobis in Domino reliqua sunt deliberanda et transigenda, ea recte omnia feliciterque procedant. — Denique tibi, dilecte fili, atque Societati universae, id quod enixe rogasti, Apostolicae benedictionis munera paterna caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Octobris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ANTONIO IOSEPHO ARCHIEPISCOPO BRACARENSI
AVGVSTAM BRACARVM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum dilectus filius Emmanuel Ioseph Martins Capella exemplum Nobis obtulerit orationis ab se habitae in solemni coetu academico, maio mense in aedibus tuis celebrato, quae oratio opportunitatem declarat philosophiae Sancti Thomae in Lusitania excolendae, haud mediocrem exinde cepimus voluptatem. Non enim Nos illud delectare non poterat quod, auspice te, in ista civitate praenobili novi iniicerentur stimuli sapientiae studiosis ad philosophiam explicandam ea ratione ac methodo, quam optimam semper rati sumus eoque nomine commendavimus vehementer. Insuper ex ea lucubratione scite naviterque confecta exploratius Nobis extitit quod ex aliis noveramus indiciis, ac praesertim ex Academiae Thomisticae Conimbricensis institutione, nimirum prudentiores in Lusitania

viros probe intelligere necessitatem reiiciendi repudiandique recentiorem quamdam scientiam quae, catholicae doctrinae infensa, philosophiae usurpat nomen; simulque redeundi ad illud purae integraeque philosophiae genus, cui operam dedere superiore aetate qui praecipua floruerunt istic gloria doctrinae. Quare dum egregium oblati libelli auctorem merita honestamus laude, tibique gratulamur quod volueris ex aedibus tuis personare verae philosophiae praeconium, bonam, quam fovemus, spem celare te nolumus. Confidimus nempe in dies magis incensum iri Lusitanorum animos, maximeque sacrorum Antistitum, ut, impense provehant huius disciplinae studia, quae quum singularem praebeat oblectationem discentibus, tum iis qui eam tenent fructus affert solidae utilitatis amplissimos. Hac spe freti, secunda optatis hisce Nostris adprecamur gratiae caelestis auxilia, et Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, clero et fidelibus tuae vigilantiae concreditis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Octobris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ANTONIO ARCHIEPISCOPO TIT. APAMENSI
PERVSIAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nos equidem conditionem opificum miserati, iura pariter locupletum et proletariorum metiri quodammodo conati sumus, atque ad praescripta evangelica, quae potissime valent, constituere. Utcumque vero consilia et opera Nostra profuerunt vel sunt profutura, certe laetamur non paucos esse viros eosque dignitate, doctrina, usu rerum praeclaros, qui auctoritate Nostra excitati, haec eadem voce et scriptis copiosius exponere altiusque defigere in animis enitantur, In his tu, Venerabilis Frater, illustrem obtines locum, libro de ea re nuper edito, cuius etiam est a te Nobis exemplar oblatum. Quo nimirum in dono, itemque in adiecta epistola, et eximiam in Nos observantiam tuam et acre quod foves episcopali pectore studium communis boni agnoscere plane licuit confirmata. Tibi

igitur, Venerabilis Frater, meritam habentes gratiam, tuamque operam collaudantes, id libro tuo, quod postulas, cupimus et precamur, ut pariat utrique ordini, dominis aeque ac mercenariis, fructus salutis uberrimos. Pignus autem a Nobis paternae benevolentiae idemque bonorum auspicium, quotquot a Deo expetis, Apostolicam habe benedictionem, quam tibi atque tuis effusam in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Octobris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LETTRE

A SA MAJESTÉ

GEORGE I ROI DE GRÈCE

Majesté

A l'approche du jour où Votre Majesté célébrera le vingtcinquième anniversaire de son mariage avec Sa Majesté la reine de Grèce, Nous ne saurions Nous abstenir de lui exprimer Nos plus vives et plus sincères congratulations. Nous n'avons pas oublié avec quelle courtoisie, dans une de Nos joyeuses occurrences, Votre Majesté a voulu prendre part à Notre allégresse et comment, dans une circonstance analogue à celle qui va se produire, Elle a tenu à Nous témoigner combien Elle avait agréé Nos amitiés et Nos compliments. Nous Nous persuadons, dès lors, qu'encore cette fois Nos félicitations ne manqueront pas de lui être agréables. Nous y joignons les vœux les plus ardents pour que aux années déjà passées dans l'union avec sa royale Épouse, il vienne s'en ajouter une quantité d'autres pleines de joies et de prospérité tant pour Elle que pour Votre Majesté et pour son no-

ble royaume. Et, à cette fin, Nous prions le Dieu Tout-puissant de protéger et de conserver longuement Votre Majesté, Sa Majesté la reine et toute la Famille royale.

Du Vatican, le 21 Octobre 1892.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

ALPHONSO HANNENGIESER SACERDOTI

PARISIOS

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Tuae in Nos pietatis munera, libros videlicet *Catholiques Allemands*, et *Le Réveil d'un peuple*, haud longo intervallo oblata, libenti Nos animo excepimus, digna sane et ingenio tuo et commendatione Nostra. Res utriusque libri maxime cohaerens, peropportuna, salutaris : quo vero religionis studio, qua temporum atque hominum intima notatione rem ipsam es persecutus, opus plane exegisti, ex quo non tantum unius gentis recens gloria pateat illustrata, sed praeterea specimen virtutis eo latius constitutum emineat. — Oportere nimirum homines catholicos in religionis causa, quae una omnium est maxima, se nunc multo praebere alacriores, in eaque tuenda consiliis et viribus perseverare coniunctis, hoc frequenter Nos litteris et sermone suademus : pluries autem laudavimus

concordissimae firmitatis exemplum, quod Germania catholica, egregiis viris praeeuntibus, iamdiu edit insigne. Tu vero qui haec eadem eosdemque viros quum historiae luce tum aequitate iudicii exornare curasti, crede quidem gratum te Nobis admodum fecisse, tuique laboris fructus non minus utiles multis, quam tibi fore praeclaros. — Restat, ut quam tu, dilecte fili, in militibus Christi pro merito effers invictam propositorum constantiam, magno idem animo tenere ne cesses, atque totus, ut facis, Ecclesiae temporibus inservire contendas: neque enim causam eius agenti deerunt tibi a Deo praesidia, id Nobis quoque precantibus per Apostolicam benedictionem, quam tibi tuisque amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Octobris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
AVGVSTINO HVBERTO EPISCOPO PICTAVIENSI
PICTAVIVM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Egregiae erga Nos voluntatis et observantiae tuae gratum Nobis testimonium praebuit officiosa epistola, quam abs te die XXI Septembris datam accepimus. Admodum equidem gavisi sumus, te sic esse animo comparatum uti litteris declaras tuis circa ea quae agenda esse docuimus a Gallicis fidelibus, ut religionis patriaeque incolumitati prospiciant. Neque vero ambigimus, quin istic concordiam bonorum omnium, si dociles dicto Nobis audientes fuerint, salutares sequantur effectus, eo vel magis quod effatum divinum viris obedientibus praecinuerit victoriam. — Quod scribis, te adhuc invaletudine laborare, id uti par est, aegre ferimus, ideoque Deum oramus ut, pristina virium integritate restituta, sinat tibi pium explere desiderium, quo cupis ad Apostolica limina acce-

dere. Insuper ab eo petimus, ut te in iis quae ad salutem gregis tui agis et moliris, praesenti ope sua sustentet et adiuvet; atque auspicem benignitatis eius Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, clero et fidelibus tuae vigilantiae concreditis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Octobris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
AVGVSTINO EPISCOPO PAPIENSI
TICINVM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pluribus de causis Nos delectarunt officiosae litterae, quas a. d. IV Octobris ad Nos dedisti una cum aliis Venerabilibus Fratribus, qui Papiam convenere, celebraturi tecum in honorem Beati Alexandri Sauli saecularia solemnia. Quum enim saepe Nos excrucient parta ab impietate pervadente exitia, laetari plane Nos ipsos oportuit, comperto amplissimo animarum fructu, quem ex ea celebratione docebatis fuisse perceptum. Auxit porro gaudium Nostrum id quod a vobis nunciabatur de summa inter vos animorum consensione ac dilectione mutua quae hoc tempore effulsit, de arcto fidei et caritatis nexu qui vos iungit huic Apostolicae Sedi, deque studio quo voluntati Nostrae obsequuti estis, gratias agentes solemniter Deo quo die, America detecta, novas regiones Ecclesiae incrementis

aperuit, et annuum habentes conventum quotquot istic aderatis ex ecclesiastica provincia Mediolanensi. Dum autem eorum, quae in hoc coetu conscita sunt descriptionem, quam polliceris, opperimur, pietatem ac zelum pastoralem vestrum omnium merita commendatione prosequimur, et disertis amoris significationibus, quas litteris vestris edidistis, paris dilectionis vicem ultro rependimus. Haec velimus, Venerabilis Frater, per te patefieri aliis in episcopatu Fratribus, qui ad te istic congressi sunt, communesque ad Nos tecum dedere litteras, eosque simul certiores fieri de Apostolica benedictione, quam tibi, illisque pariter, itemque clero et fidelibus tuae eorumque vigilantiae concreditis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Octobris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

PETRO EPISCOPO AVRELIANENSI

AVRELIAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Expectationem desiderii Nostri mirifice expleverunt ea quae legimus in litteris tuis, die xxv. Octobris datis, de iis quae nuper a te gesta sunt, ut Clerus, cui praees, agendi rationem suam ad normam exigat documentorum, quae litteris Nostris encyclicis circa praesentem Galliarum statum, aliisque eodem pertinentibus complexi sumus. Id sane Nobis non leve, prout scite coniecisti, solatium attulit, spemque auxit, quam fovemus, ampla subinde praemia docili huic obedientiae datum iri ab aeterno, cuius vicem gerimus, Ecclesiae Pastore. At vero huic laetitiae Nostrae quasi nubem quamdam tristitiae quam brevi evanidam fore speramus, offuderunt ea quae nuncias obstacula, nulla ratione, interposita, ne optatos pariant effectus consilia a Nobis amanter inita et curae ad salutem tuendam et prosperitatem Gallicae gentis collatae. Acerbius

porro ex molestiis angimur et vulneribus, fere quotidie illatis istic Ecclesiae Dei, quae Nos, sat acriter divexatos domi, in partem vocant etiam iusti doloris, quo penes vos afficitur Episcopatus et Clerus populusque qui religioni avitae studet adhuc haeretque fidelis. Paternae siquidem caritatis Nostrae in Gallicam gentem argumenta, iterum iterumque a Nobis edita, studiumque impensum quo adnisi sumus pacatam illam praestare, cordatos inter probosque cives omnes conciliatâ concordiâ, haec sane magis magisque acuisse videntur iras factionis Ecclesiae infensae, quae sibi uni ius esse rata in rem publicam, summas civitatis rationes veteri posthabet invidiae suae, praeterque modum minax ac violens, nihil pensi sanctique habet, neque veretur in praeceps agere praenobilem patriam suam, cui munus hoc dederat summi providentia Dei ut Crucis victricis signum praeseferens, ceteris praeiret gentibus sanae doctrinae studio et optimarum artium, per quae civilis cultus et nitor barbarorum feritati antecellit. Equidem in hoc caeco irarum impetu miseram quamdam vesaniam agnoscimus ac deflemus, ex qua repetendae sunt vexationes assiduae, quibus conflictantur catholica religio eiusque administri, publicus Dei cultus et ipsa christianae vitae fundamenta, quae pariter verae humanitatis scatebrae et praesidia sunt; tametsi nulla praesto sit solida ratio, quaeve speciem habeat iustae causae tam dire saeviendi in eas res, quae sacrae habentur ex publicis etiam institutis, eosque homines quos aequo saltem censeri oportet cum ceteris iure.

Nihilominus in hac procella quae furit ad amoliendum opus salutare a Nobis susceptum aliisque, quos socios Nobis adiunxit studium par caritati qua religionem et patriam diligunt, sedulo curandum est ne Gallorum fidelium vires animique deficiant, quemadmodum et Nobis curandum esse sentimus ne torpescat sollicitudo, quam de vestra salute gerimus, neve Nobis in re tam necessaria constantia propositi tenax, quam rei natura postulat, videatur defuisse. — Ceterum non una suppetit causa ex qua recreari par est moerentes animos confirmarique ut strenue perstent in bonis inceptis. Imprimis scilicet solari vos debet conscientiae testimonium, quo nostis dari a vobis operam in rebus trepidis, tempore difficili, religioni et patriae servandae. Haec vobis cogitantibus facile verba subierint. queis Princeps Apostolorum primaevos solabatur fideles ; *Si bene facientes patienter sustinetis, haec est gratia apud Deum.* Itemque : *Haec est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste.* Iucundior haec fiet cogitatio si fiducia accesserit opis divinae, quae nunquam rogantibus deest, et spes uberis fructus, qui praemium erit constantiae vestrae et exantlati laboris. Ad haec vos memores esse oportet, parta esse haec mala, quae vos premunt, ex ira tenebricosi cuiusdam coetus catholicam fidem iamdiu perosi, non ex voluntate ac iudicio totius magnanimae nationis vestrae, cui nunquam probari poterit acris haec insectatio innocentium, quae vulgatissimas tollit libertatis et iustitiae notiones, quae gentis mores pervertit, eamque in

contemptum vocat populorum civilem vitam agentium, relegatque a consortio gentium ceterarum, quibus exploratum et persuasum est ordinis et felicitatis publicae firmamenta esse religionis cultum, et in eos qui auctoritate praestant observantiam.

Ea Nobis spem afferunt, haud diuturnam fore hanc tempestatem, maxime quum sacra testentur eloquia, daturum non esse Deum in aeternum fluctuationem iusto. Eadem spe sustentari ac refici velimus quum te, tum reliquos qui in Galliis sunt sacrorum Antistites, et curare alacriter ut Clerus, cui praeestis, conatibus Nostris obsecundet, versari studeat inter fideles, eos docere christiani hominis officia, iuvare pro rei copia corporis, nedum animi, subsidiis, et documentis instruere a Nobis traditis, quae eo spectant potissime ut quae duo sunt mala taeterrima a Gallis avertantur, nimirum religionis iactura et prolapsio morum.

Quin optatis hisce Nostris constanter obsequi pergant omnes Gallicarum dioecesium Praesules, pro ea quam experti sumus eorum in Nos voluntate non dubitamus: de te quin omnium studia vincas, minime ambigimus. — Hac autem fiducia freti, tibi, Venerabilis Frater, clero et fidelibus tuae vigilantiae concreditis, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI Octobris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ANTONIO D'ABBADIE EQVITI TORQVATO
ORDINIS S. GREGORII MAGNI
PRAESIDI ACADEMIAE SCIENTIARVM PARISIENSIS
LVTETIAM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae perscripta legimus in litteris a te datis cum quibusdam collegis tuis, religionis aeque ac scientiae laude praestantibus, de sedulitate Cliniacensium sodalium ex Ordine Sancti Benedicti in physicis et mathematicis scientiis excolendis, ea non minus grata Nobis acciderunt, quam iis honesta, quorum operosa commendatur industria. Nobis enim non modo probantur summopere ecclesiastici viri, qui huic tam nobili disciplinarum generi vacant, sed necessaria eorum opera videtur hoc tempore ad catholicam veritatem tuendam, quae imperfectae cuiusdam et fucatae scientiae nomine solet oppugnari. Quare vehementer gaudemus, inter vos ac praedictos religiosos viros

quum summam esse consensionem animorum, tum communicationem benevolam cognitionum haustarum ex accurata investigatione naturae. Itaque vix est ut te, dilecte fili, tuosque collegas illustres hortemur, ut illis benigne pergatis favere, mutuamque opem ferre pro re nata scientiae vestrae luminibus. Testem interea paternae caritatis Nostrae tibi, dilecte fili, ac memoratis Collegis tuis, qui tecum coniunctim ad Nos dedere litteras, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die II Novembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IOSEPHO EPISCOPO PATAVINO
PRAESIDI HONORARIO VNIONIS CATHOLICAE SOCIALIBVS STVDIIS
IN ITALIA EXCOLENDIS

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Agnovimus libenter ex litteris tuis, die xxv. Octobris datis, prosperos eius conventus exitus, quem superiori mense Genuae egerunt complures catholici viri socialium scientiarum studiosi. Id primum quidem benignitati summi Dei acceptum referimus, dein vero sedulitati tuae illic praesentis, quem impigre adfuisse novimus quaeque curanda erant curasse diligenter, nec non docti viri, qui, ductu auspicioque tuo, Unioni praeest catholicae socialibus studiis excolendis. — Quod scribis, in votis conventus nuper acti fuisse ut periodicus commentarius in vulgus edatur, qui de scientiis socialibus agens praeco sit et vindex sanae doctrinae, quae ex catholicae veritatis fonte dimanans, in hoc influit disciplinarum genus, id Nobis vehe-

menter probatur; quod si naviter sciteque, prout confidimus, fuerit effectum, tam gratum Nobis erit quam quod gratissimum. Sane hoc inceptum quum per se nobilissimum esse intelligimus, tum rationi temporum rerumque praesentium apprime congruens, et necessitati iuvenum harumce scientiarum cupidorum maxime accommodatum. Omnibus itaque qui, te advigilante, huic operi studium et industriam suam collaturi sunt, caelestis sapientiae lumina gratiaeque divinae praesidia ex animo adprecantes, Apostolicam benedictionem tibi illisque simul, nec non clero et fidelibus tuae vigilantiae commissis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Novembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

DECRETVM

DE ALVMNIS INSTITVTORVM RELIGIOSORVM

—

Auctis admodum ex singulari Dei beneficio votorum simplicium Institutis, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua parit incommoda facilis alumnorum huiusmodi societatum egressus, et consequens, ex iure constituto, regressus in dioecesim originis. Haec autem graviora efficit temporalium bonorum inopia qua nunc Ecclesia premitur, unde Episcopi saepe providere nequeunt ut illi vitam honeste traducant. Haec, aliaque id genus, etiam de alumnis Ordinum votorum solemnium, perpendentes nonnulli Sacri locorum Antistites, pro ecclesiastici ordinis decore et fidelium aedificatione, ab Apostolica Sede enixis precibus postularunt, remedium aliquod adhiberi. Cum ergo totum negotium SSm̃us D. N. Leo PP. XIII detulisset Sacrae huic Congregationi Episcoporum et Regularium Negotiis et Consultationibus praepositae, Em̃i Patres in conventu plenario habito in Vaticanis aedibus die 29 mens. Augusti anni 1892, praevio maturo examine ac discussione, perpensaque universa rei ratione, opportunas edere censuerunt dispositiones per generale decretum ubique locorum perpetuis futuris tem-

poribus servandas. Quas cum SS. Dominus Noster in Audientia d. 23 Sept. huius anni 1892 infrascripto Secretario benigne impertita, probare et confirmare dignatus fuerit, ea quae sequuntur per praesens decretum Apostolica auctoritate statuuntur et decernuntur.

I. Firmis remanentibus Constitutione S. Pii V diei 14 Oct. anni 1568, incipient. *Romanus Pontifex,* et declaratione sa. me. Pii PP. IX, edita die 12 mens. Iunii anni 1858, quibus Superioribus Ordinum Regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant Novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo Paupertatis ad SS. Ordines promoveri valeant, eaedem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro SS. Ordinibus, vel quomodocumque ad sacros Ordines alumnos promovere titulo Mensae communis, vel Missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua iam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis iam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis Constitutionibus contentis, etsi tales Constitutiones fuerint a S. Sede Apostolica approbatae.

II. Hinc notum sit oportet de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad Maiores Ordines

alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum simplicium sit addictus. — Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam sacros Ordines suscipiat triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut Clericus vota solemnia nuncupare possit quamvis non expleverit triennium, quoad Instituta vero votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi Instituti Constitutionibus praescripto pro professione votorum simplicium perpetuorum.

III. Dispositiones contentae in decreto S. C. Concilii, iussu sa. me. Urbani VIII edito die 21 Septembris 1624, incipien. *Sacra Congregatio,* ac in decreto eiusdem S. C. iussu sa. me. Innocentii XII edito die 24 mens. Iulii anni 1694, incipien. *Instantibus,* ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent, sed servandae imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper Ordinibus constituto dimittendo; ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est, nisi ob culpam gravem, externam, et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorregibilis. Ut autem quis incorregibilis revera

habeatur, Superiores praemittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem; qua nihil proficiente, Superiores debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium eiusdem Instituti religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Superior, seu Tribunal, defensorem, ut supra, alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post haec Superior cum suo Consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quae tamen nullum effectum habebit si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. EE. et RR. appellaverit, donec per eamdem S. C. definitivum iudicium prolatum non fuerit. — Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi summario modo iuxta praxim vigentem apud hanc S. C.

IV. Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium, in Sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

V. Qui in Sacris Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, sponte di-

missionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quovis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.

VI. Professi tum votorum solemnium, tum simplicium ab Ordinariis locorum ad Sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.

Haec de expresso Sanctitatis Suae mandato praefata Sacra Congregatio constituit atque decernit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, die 4 Novembris 1892.

I. Card. VERGA *Praef.*

† Ios. M. Arch. Caesarien. Secretarius

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
AVGVSTINO TIT. S. SABINAE
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI BAVSA
ARCHIEPISCOPO FLORENTINO
FLORENTIAM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pastoralis prudentiae navitatisqne tuae et alia patuerunt Nobis testimonia praeclara, et recens unum accessit in oratione, ad alumnos istius Ecclesiae, studiis auspicandis, habita, quam hisce ipsis diebus oblatam Nobis per litteras et commendatam voluisti. Erat nimirum per se ipsa commendabilis opportunitate rerum, disertâ copia, cohortandi gravitate : in qua singulas variasque disciplinas, clericis ad colendum propositas, apte ostendisti uno quasi concentu inter se conspirare, ut illis adiumenta omnia suppeditent ad sacra officia utiliter et cum dignitate aliquando fungenda. — Eisdem autem de rebus quoniam

iudicium tu Nostrum et auctoritatem rogasti, sic habe, tuam plane Nobiscum convenire sententiam; eaque potissimum Nobis cordi esse duo capita, quae persaepe ediximus, in studiis adolescentis cleri curandum et enitendum ut doctrinam ipse hauriat optimam, haustam ut optime in alios derivet. Qua enim versamur inani aetate et superba, quibus et fallaciis et corruptelis fides passim moresque tentantur, sacerdotalis ordo non solum integerrimo praestet exemplo necesse est, sed polleat etiam vera solidaque doctrina, studiosissime ex eis fontibus quaesita, quos inde ab exordio pontificatus Nostri commonstravimus, iussimus adeundos. Ita instructus, ad concionandi munus, grande et divinum, aggredi rite poterit, ut edoceat, refellat, confirmet, moveat, triumphet, unice in sempiternam animorum salutem: id quod ei profecto succedet, modo fecerit, ut recte est a te praescriptum, cum rerum delectu quae conveniant audientibus, divinis magis argumentis quam humanis adhibitis, eo demum ardore quem caritas Christi succendat et regat. — Sic igitur Nostris tuisque admonitionibus alumni tui dociles, ut assolent, obsequantur; et quibus consilia et curas tanta ipse tribuis diligentia, ex eis etiam atque etiam habeas quod laeteris. Tuus autem omnisque Etruriae clerus, vehementer optamus, cum nobili, qua floret, humanitatis laude laudem doctrinae multo nobilissimam eo impensius coniungens, utramque salutarem populis uberrime efficiat. — Iamvero haec vota Deo fovenda exhibentes, tibique gratulationem et benevolentiam omnem testantes, munera

Apostolicae benedictionis, quae in clerum ipsum populumque tuum effundas, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XV Novembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE CANONICA INSTITVTIONE FACVLTATIS THEOLOGICAE
IN ARCHIEPISCOPALI SEMINARIO MEDIOLANENSI

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romani Pontifices, sacrarum disciplinarum custodes et vindices, in id potissimum curas, cogitationesque suas intendunt, nimirum ut clerici, in quibus posita est sacerdotalis militiae spes, in theologica facultate alte, sapienter, atque integre instituantur. Hac mente per similes Apostolicas Litteras die v Ianuarii mensis, anno MDLXXX datas, Gregorius PP. XIII recol. mem. Praedecessor Noster sancti Caroli Borromaei precibus indulgens, eidem sancto Archiepiscopo, eiusque successoribus, facultatem academicos gradus in S. Theologia conferendi in perpetuum concessit; et Mediolanenses Antistites sanctimonia vitae, doctrinaeque laude florentes, amplissima hac venia biscentum ferme annorum spatio usi sunt. Verum iam inde a saeculo ob rerum vicissitudines, eodem privilegio obsoleto, Venerabiles Fratres, Aloisius Nazari e Calabiana Archiepiscopus, et ceteri Mediolanensis ecclesiasticae pro-

vinciae Episcopi, enixis precibus Nos efflagitarunt, ut Theologicam Facultatem, quae in Archiepiscopali seminario Mediolanensi ad normam Apostolicarum Litterarum, quarum initium « Aeterni Patris » erecta, vestigiis Divi Thomae inviolate inhaeret, et doctorum fama, discipulorum frequentia ac doctrinae puritate praefulget, canonicae institutionis munimine fulcire, addito privilegio academicos clericis gradus conferendi, ac insuper, confirmatis constitutionibus sive statutis nuper conditis, atque ad hanc almam urbem transmissis, Theologicum Collegium, quod ipsam regeret atque tueretur facultatem instituere dignaremur. Nos autem, quibus nihil antiquius est, quam S. Theologiae, scientiarum omnium parentis, studium incrementumque provehere, id et Mediolanensis civitatis celebritati consentaneum, et in christianae reipublicae emolumentum cessurum rati, votis huiusmodi annuendum propensa voluntate censuimus. Idcirco rem agentes cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus studiorum Congregationi praepositis, probe scientes, nihil in ipsius Seminarii scholis tradi quod omnino non sit sanae doctrinae consonum, omnesque praelectiones diligentissime exigi ad principia Angelici Doctoris, quem uti caelestem Patronum eadem facultas peculiari cultu prosequitur; simulque animo repetentes, quot quantaque bona tum in Mediolanensem, tum in finitimas Metropolitae iurisdictioni obnoxias Dioeceses exinde redundent, ac pro certo habentes tum dicti Archiepiscopi, tum aliorum provinciae illius sacrorum Antistitum diligentiâ factum iri, ut ipsae scholae acrius in

dies impensiusque se dent ad verae religionis scientiam propagandam et strenue asserendam, mature omnibus perpensis, peculiaribusque attentis circumstantiis, Theologicam Mediolanensem facultatem optato canonicae erectionis honore exornandam, Collegiumque theologicum instituendum existimavimus. Quare omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, Theologicam facultatem, de qua supra habita mentio, in Archiepiscopali Mediolanensi Seminario extantem, canonica institutione augemus, atque Apostolicae sanctionis robore ita confirmamus, ut veram inde ac proprie dictam erectionem sortiatur; ibidemque Collegium theologicum, quod duodecim viris constet, eadem Nostra auctoritate, itemque per praesentes instituimus. Insuper dicto theologico collegio privilegium concedimus gradus academicos in theologicis dumtaxat disciplinis ad triennium, servatis servandis, conferendi; et memoratae facultatis theologicae statuta, iuxta exemplar, quod nonnullis partibus emendatum, in S. Studiorum Congregationis tabulario asservari iussimus, item ad triennium approbamus, rataque habemus. Tandem de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine concedimus, ut theologica facultas in Mediolanensi Seminario praedicto sic per Nos canonice erecta, omnibus et singulis iuribus

ac praerogativis, quae institutionibus ab hac S. Sede rite probatis tribui solent, frui in posterum, perpetuum in modum, possit ac valeat, dummodo quae supradictis statutis continentur adamussim serventur. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non speciali licet mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XV Novembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

FRANCISCO IOSEPHO EPISCOPO ANGRENSI

ANGRAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Volenti laetoque animo litteras accepimus, quas, obsequii et amoris plenas, ad Nos dedere Canonici clerusque reliquus dioecesis tuae, quum primum ad religiosum conventum a te indictum congressi sunt. Plane quum Nobis nihil sit optabilius, quam summa consensio inter sacrorum Antistites et Clerum cui praesunt, atque arcta coniunctio fidelium omnium cum hac Apostolica Sede, delectari vehementer Nos oportuit earum lectione litterarum, in quibus utriusque istius coniunctionis studium nec luculentius ostendi nec planius exprimi poterat. Quo gratiora vero haec Nobis essent officia, significatio accessit intimae gratulationis, laeta mox redeunte die, qua ante annos quinquaginta episcopalem consecrationem suscepimus. — Equidem omnia haec filialis pietatis testimonia ea qua par

est caritate complectimur; certaque fiducia freti, Clerum tuum firmiter in iis sensibus fidei, obedientiae et obsequii, quos suis mandavit litteris, perstiturum, uberem illi adprecamur a Deo caelestium munerum copiam, quae sacri ministerii perfunctionem expeditam ipsi et iucundam, populoque fideli frugiferam et salutarem efficiat. Huius interea divinae benignitatis auspicem, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, praedicto capitulo et clero, ceterisque fidelibus tuae vigilantiae commissis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Novembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
BENEDICTO MARIAE TIT. S. IOANNIS AD PORTAM LATINAM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI LANGÉNIEVX
ARCHIEPISCOPO RHEMENSI

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Optimo sane consilio Comitatus operi praepositus, cui a conventibus Eucharisticis nomen est, constituit curavitque, ut coetus solemnis ad annum ageretur in civitate Hierusalem, ubi Sacramentum omnium sanctissimum a Christo Domino institutum fuit. Quo illustrior autem huic coetui dignitas accederet, significavit Nobis pius Comitatus quem diximus, sibi in votis esse ut tu, Dilecte Fili Noster, nomine et honore Delegati Nostri huic conventui praesis. Quum id eo valere intelligamus, ut futurae congressionis celebritas augeatur et decus, adeoque fructus ex ea expectandi sint uberiores, libenter hanc curam prudentiae tuae demandamus, ut eidem adesse velis Nostri absentium nomine et vice. — Porro quum Nobis explorata

sit pietas, qua Eucharisticum sacramentum colis, tuaque in negotiis agendis sollertia, non dubitamus quin hoc munus studiose suscepturus sis et obiturus feliciter. — Auspicem interea caelestis gratiae, quae una rebus gerendis prosperos dare successus potest, Apostolicam benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, gregique tuo, et omnibus qui memorati conventus tecum participes futuri sunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Novembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

DECRETVM

QVO DE ALVMNIS SODALITATVM RELIGIOSARVM
CIVILI MILITIAE OBNOXIIS NONNVLLA PRAESCRIBVNTVR

—

La S. Congregazione sopra la Disciplina Regolare, sempre intenta al bene delle Corporazioni Religiose, non può trascurare i giovani che ne sono le più belle speranze: quindi, autorizzata dal S. Padre, conferma le Costituzioni Apostoliche che sonosi svolte ne' tempi decorsi per norma del loro stato ordinario, ed impartisce ai Superiori Generali pe' soggetti alla *Leva militare* le seguenti prescrizioni speciali.

1.° Per quelli che appartengono alla prima categoria, e non possono essere certi di venire riformati, la *Professione solenne* e l'ammissione agli *Ordini Sacri* debbono essere ritardate fin dopo compiuto il rispettivo servizio attivo di un anno, o di altro tempo necessario.

2.° È utile favorire il volontariato di un anno, anche sussidiando i giovani bisognosi, o in parte, o in tutto, secondo i mezzi di cui può disporre ciascun Ordine, onde loro sia dato di supplire alla tassa richiesta dal Governo, ed alle altre spese durante il servizio; ma s'intende che

tale aiuto si darà solamente a giovani di buone speranze, docili ed obbedienti.

3.° È spediente che prima d'intraprendere il volontariato o servizio maggiore, abbiano atteso ad un corso di Esercizî spirituali almeno per dieci giorni, ed abbiano fatto una parte degli studî teologici, premesso il corso regolare degli altri studî, onde siano più fondati nelle idee religiose e nella religiosa istituzione.

4.° Acciocchè i giovani conservino più facilmente la loro vocazione, e vi corrispondano con la condotta, oltre alle salutari ammonizioni, la possibile frequenza dei Sacramenti, la lettura di buoni libri, s'imporrà loro di far capo agli Ecclesiastici designati dagli Ordinarî dei luoghi per la loro coltura spirituale; e questi non mancheranno di prestare a favore dei coscritti nel miglior modo possibile l'opera loro proficua, ed a seconda delle circostanze. A facilitare poi tale opera i Superiori Generali ordineranno a' Provinciali di dar conto dei loro sudditi ai lodati Ordinarî, indicando la dimora dei medesimi, e raccomandandone la vigilanza. Gli Ordinarî dalla loro parte indicheranno ai Provinciali i sacerdoti a cui debbono rivolgersi i giovani coscritti.

In ogni cambiamento di stazione i giovani sono obbligati a dare analoghe notizie al P. Provinciale, e riferirgli, per quanto è possibile, l'andamento della loro vita. Se durante il servizio hanno qualche settimana di permesso debbono attendere, almeno per tre giorni, agli Esercizî spirituali. — Non occorre poi dire che nelle città

dove ci sono case della Religione, i Provinciali possano deputare qualche loro religioso per la cura spirituale dei detti coscritti; ma rimane sempre fermo l'obbligo d'informare l'Ordinario del luogo dei giovani che vanno a compiere il servizio militare nella loro diocesi.

5.° Quelli che finito il servizio militare di un anno, o di tempo maggiore, perseverano nella santa vocazione, e risulta della buona condotta tenuta, verranno riammessi nell'Ordine, dove per prima cosa faranno un corso di Esercizî spirituali, e non saranno promossi alla *Professione solenne,* nè agli *Ordini sacri,* se non dopo un tempo sufficiente, non minore di un anno, affinchè intanto diano saggio della stabilità della loro vocazione, riassumano gli studî sacri, e rimanendo per questo tempo o nel Professorio, o in qualche altro luogo di stretta osservanza sotto la direzione di un Religioso grave per età e per costumi all'uopo deputato, diano prova della loro virtù.

Massima cautela dovrà usarsi per quelli, che invece del volontariato, abbiano fatto il servizio ordinario di tempo maggiore.

Saranno per tutti necessarie le lettere testimoniali degli Ordinarî diocesani, nel cui territorio abbiano dimorato almeno *tre mesi.* E rimangono sempre ferme le prescrizioni dei Sacri Canoni, in ordine a quelli che presentano difetti inducenti irregolarità, per i quali deve implorarsi nei singoli casi la dispensa Pontificia.

6.° Le misure di precauzione indicate al N. 4 si osserveranno anche riguardo a quelli che dopo la Profes-

sione e gli Ordini sacri venissero richiamati al servizio militare per un tempo notabile.

7.° Dandosi finalmente casi eccezionali e non previsti, i Superiori Generali degli Ordini dovranno ricorrere a questa Sacra Congregazione per le analoghe istruzioni e deroghe.

Roma 27 Novembre 1892.

I. Card. VERGA, *Prefetto.*

Gius. M. Arc. di Ces. del Ponto, *Segretario.*

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

BENEDICTO EPISCOPO HISPALENSI

HISPALIM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quamquam Nobis obscura non erat eximia erga Nos observantia tua aliorumque, qui tecum Hispali tertium Catholicorum ex Hispania conventum egere, fatemur tamen ultro, expectatione maiorem Nos cepisse voluptatem ex iis, quae in litteris tuis, die XVIII. Octobris datis, totius coetus nomine, legimus explicata. Mirifice enim ex iis enitebat quum singularis filiorum amantium pietas et fides, tum plenum obsequium, quo documenta excipiunt, quae ab hac arce veritatis prodeunt ut in hac rerum ac temporum difficultate tuta suppetat agendi norma fidelibus. Patebat insuper ex iis litteris commune studium servandae concordiae tuendique, iunctis viribus, religionis decus et Ecclesiae rationes, nec non voluntas paratissima ad ea praestanda, quae fieri suasimus, ut inter pecuniosos homines plebemque operariam funesta tollantur dissidia.

Plane haec studia vestra et suave Nobis attulere solatium et multa laude digna visa sunt: prae primis vero grata Nobis accidit summa quae a te, tuisque in Hispanico Episcopatu Fratribus geritur sollicitudo de libertate et incolumitate Nostra, cuius in partem sollicitudinis vocare contendistis etiam Augustam mulierem, quae regendo praeest Hispaniarum regno, ea maxime spectantes quae metuenda forent siquid gravius praesenti rerum discrimini accederet. — Quam ob rem dum meritas vobis gratias habemus, celare vos nolumus grati animi sensus, quibus excepimus gratulationis officia, queis Nos prosequi coetus iste voluit, quod tempus appetat quo celebraturi sumus episcopalis consecrationis Nostrae quinquagesimam anniversariam diem. Quae laeta et fausta Nobis in eam diem ominati estis, ea vicissim vobis ad commune gaudium adprecamur a Deo, a quo et illud maiorem in modum petimus, ut Catholicae nationis appellatio, qua vestra gloriatur gens illustris, semper in posterum summa ratione eidem videatur indita, novisque decoribus in dies ornatior effulgeat. — Huius interea divini favoris auspicem, Apostolicam benedictionem tibi, aliisque Venerabilibus Fratribus, et dilectis filiis, qui tecum ad Hispalensem conventum congressi sunt, itemque clero et populo vigilantiae tuae concreditis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx Novembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS DIOECESIS CLAVARENSIS

ERIGITVR

—

LEO EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romani Pontifices, qui in terris vicariam Christi gerunt potestatem, cum utile et opportunum esse censuerunt curas conferre, ut rei sacrae procurationem apud Christifideles commodius aptiusque componerent, eosque maioribus instruerent praesidiis ad salutem, hoc Apostolici sui ministerii munere studiose omni tempore perfungi consueverunt. Hoc ipso Nos Decessorum Nostrorum animo affecti, praeclare operam positam existimavimus, si fidelium regionem Liguriae orientalis incolentium salutari utilitati peculiari sollicitudine consuleremus, atque fervida et iterata vota libenter exciperemus ab illustribus viris erectionis Clavarensis dioecesis curandae praepositis, aliisque fidelibus exhibita, in eum finem, ut civitas Clavarensis sub spirituali ditione Archidioecesis Genuensis posita, ad incrementum spiritualium bonorum in ipsa Ligu-

ria orientali, ad Episcopalis Sedis dignitatem eveheretur. Neque in hac re iustae causae defuerunt, ut Nos iis votis implendis prona ac paterna voluntate operam daremus.

Urbs enim Clavarum longe supra duodecim millia incolarum complectens, subpraefecturae civilis sedes, natura loci, caelique, maiorum gloria, civium industria ac virtute, aedificiorum copia et elegantia illustris, pluribus praeterea templis ornata, in quibus Collegiata Ecclesia S. Ioannis Baptistae et Augustae Dei Matris ad Horto nuncupatae aedes eminent, seminario alumnorum Sacri Ordinis, Episcopali domo, piisque religionis caritatis et christianae disciplinae institutis praedita, praecipuum merito inter alias regionis orientalis urbes, locum et nomen obtinet. Clarae insuper in eadem regione numerantur urbes Rapallum in primis, Lavania et sanctae Margaritae civitas, quae civilibus ac religiosis veteris gloriae monumentis nobilitantur, et civium sobole, qui maiorum gloriam sua virtute et religione tuentur. Cum haec omnia magnum per se momentum haberent ad impellendum animum Nostrum ut votis Clavarensium faveremus, accessit etiam eximium divinae Providentiae beneficium rei expediendae opportunissimum, quo factum est, ut piae memoriae civis e clero Clavarensi Franciscus Bancalari an. MDCCCLXXXIV, mense Septembri extinctus, de sua substantia tertiam suorum redituum partem in id testamento legaverit, ut Episcopi Clavarensis, si quando eum Apostolicae auctoritati constituere placeret, congruo patrimonio et episcopalis procurationis praesidio inserviret. Huius eximiae

liberalitatis exemplum, praeclari alii Clavarenses cives e clero et populo secuti, sponte ac libenter pro virili parte curarunt, ut salutare opus, aliis collatis subsidiis quae ad dioecesim erigendam requirebantur, concordibus studiis adiuvarent.

Hisce omnibus igitur adducti et permoti, et rei perficiendae opportunitatem datam ac oblatam perspicientes, totum postulatae erectionis negotium, prout rei gravitas postulabat, Sacro Consilio Consistorialibus rebus praeposito, diligenti cura expendendum commisimus, ac de eius sententia, erectionis praedictae in bonum animarum cessurae utilitate comperta, iteratis Clavarensium precibus, quae supra memoratae sunt, Apostolica auctoritate annuendum denique censuimus.

Sub auspiciis itaque Magnae Dei Matris, quam Liguriae universae fideles sub titulo de Horto et de Monte Allegro pientissime ac veteri religione venerantur, supplicationes et vota praedicta benigno favore prosequi volentes, omnesque et singulos, quibus hae litterae favent a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie respective absolventes et absolutos fore censentes, cunctis, quae animadvertenda erant, matura deliberatione perpensis, Motu proprio et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine ad dictam dioecesis Clavarensis ere-

ctionem devenimus, in eum qui sequitur modum; dictamque civitatem Clavarum cum territorio infradicendo ab Archiepiscopali dominatione Genuensi perpetuo disiungimus et dismembramus, ac omnino separamus.

Et quia ratio postulat ut civitas Clavarum titulum et gradum episcopales sibi vindicet, illam ad civitatis etiam Episcopalis fastigium cum omnibus et singulis honoribus, iuribus, privilegiis, praerogativis, quibus aliae civitates Pontificali Sede insignitae, et eorum cives utuntur et gaudent, auctoritate Apostolica perpetuo erigimus et evehimus.

Praeterea eam ipsam insignem antiquitate cultus et molitione operis Ecclesiam, honori B. Mariae Virginis de Horto in civitate Clavarensi dicatam, in Cathedralem Ecclesiam sub eodem titulo et invocatione, et in ea Sedem et dignitatem Episcopalem cum suis Canonicorum Cathedralium Collegio, Episcopali mensa, ceteris Cathedralibus et Episcopalibus insignibus, iuribus, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis indultisque realibus personalibus et mixtis, quibus aliae in Genuensi provincia Cathedrales Ecclesiae, non tamen titulo oneroso, aut ex indulto peculiari, gaudent et gaudere poterunt, dicta Apostolica auctoritate perpetuo pariter erigimus et instituimus.

Deinde utendo facultate, quam in novissima provisione Archidioecesis Genuensis de persona Venerabilis Fratris Thomae Reggio Episcopi Ventimiliensis facta, Nobis reservavimns, decernimus et statuimus ut haec dioe-

cesis Clavarensis sic erecta per Delphini montem ac portum ab Archidioecesi Genuensi discernatur, ita ut eius fines, tum finibus natura loci designatis, tum ipsi civilis administrationis circumscriptioni respondeant, ideoque ab eadem Archidioecesi de Apostolicae potestatis plenitudine Paroecias seu loca, quorum elenchus infra traditur, in totum centum triginta tria, suis tamen peculiaribus titulis cuique Curionum servatis, perpetuo dismembramus et dirimimus, atque eas Paroecias seu loca, sic dirempta et separata, una cum utriusque sexus incolis, tam laicis quam clericis et religiosis, non tamen exemptis, ac omnibus pertinentiis dioecesi Clavarensi ex integro erectae, perpetuo assignamus et attribuimus, eosdemque utriusque sexus incolas et religiosos superius expressos eidem Episcopali Ecclesiae Clavarensi pro suis territorio dioecesi, clero et populo pariter perpetuo adscribimus atque subiicimus.

Paroeciae autem seu loca, novae dioecesi Clavarensi adscripta et attributa, sunt ea quae sequuntur:

Comune di Chiavari – S. Giovanni Battista di Chiavari (Collegiata), S. Giacomo di Rupinaro (Chiavari), S. Pietro delle Canne, S. Maria e S. Biagio di Bacezza, S. Martino di Maxena, S. Andrea di Rovereto, S. Margherita di Caperana, S. Michele di Ri, S. Antonino di Sanguineto.

Comune di Carasco – S. Marziano di Carasco, S. Eufemiano di Graveglia, S. Nicolò di Paggi, S. Quirico di Rivarola, S. Pietro di Sturla, S. Maria di Sturla.

Comune di S. Colombano Certenoli – S. Stefano di Ci-

chero, S. Bernardo di Celesia, S. Maria di Camposasco, S. Maria Assunta di Certenoli, S. Michele di Romaggi, S. Colombano di Vignale, S. Maurizio di Baranzolo.

Comune di S. Rufino – S. Rufino di Leivi, S. Michele e S. Bartolomeo del Basco, S. Tommaso del Curlo.

Comune di Lavagna – S. Stefano di Lavagna (Collegiata), S. Giulia di Centaura, SSm̃a Concezione di Cavi di Lavagna.

Comune di Cogorno – S. Lorenzo di Cogorno, SS. Salvatore di Lavagna, S. Maria di Monticelli, S. Antonino di Breccanecca.

Comune di Ne – S. Maria di Ne, S. Martino di Caminata, S. Antonio di Pontori, S. Pietro di Zerli, S. Biagio di Garibaldo, S. Cipriano di Sambuceto.

Comune di Sestri Levante – S. Giacomo di Loto, S. Vittoria di Libiola.

Comune di Casarza – S. Martino di Bargone, SSm̃a Concezione di Cardeni, S. Maria di Massasco.

Comune di Moneglia – S. Croce di Moneglia, S. Giorgio di Moneglia, S. Saturnino di Moneglia, S. Maria di Lemeglio.

Comune di Castiglione Chiavarese – S. Antonino di Castiglione, S. Michele di Masso, S. Maria di Missano, S. Martino di Velva, S. Pietro di Frascati.

Comune di Portofino – S. Martino di Portofino.

Comune di S. Margherita Ligure – S. Giacomo di Corte (Collegiata), S. Maria di Nozarego, S. Margherita di Pessino (Collegiata), S. Siro di Rapallo, S. Lorenzo della Costa.

Comune di Rapallo – SS. Gervasio e Protasio di Rapallo (Collegiata), S. Maurizio di Monti, S. Quirico di Assereto, S. Andrea di Foggia, S. Maria del Campo, S. Pietro di Novella, S. Martino di Noceto, S. Massimo di Rapallo, S. Michele di Payana.

Comune di Zoagli – S. Martino di Zoagli, S. Ambrogio della Costa di Rapallo, S. Gio. Battista di Semovile, S. Pietro di Rovereto.

Comune di Varese Ligure – S. Gio. Battista di Varese, S. Lorenzo di Caranza, S. Pietro di Vara, S. Anna di Valletti, S. Michele di Ponciorasso, S. Pietro di Comuneglia, S. Lorenzo di Scortabò (già Toricella), S. Bartolomeo di Cassego.

Comune di Maissana – S. Michele di Ossegna, S. Bartolomeo di Maissana, S. Bartolomeo di Chiama, S. Martino di Cembrano, S. Bartolomeo di Tavarone, S. Lorenzo di Campore, S. Maria di Lagorara.

Comune di Borzonasca – S. Rocco di Accero, S. Andrea di Borzone (Abbazia), S. Lorenzo di Levaggi, S. Martino di Montemaggio, S. Gio. Battista di Porcile, S. Maria di Temossi, S. Maria di Prato (o sopra la Croce).

Comune di Mezzanego – S. Maria di Mezzanego, S. Maria di Borgonovo, S. Michele di Vignolo, S. Siro di Foce.

Comune di Moconesi – S. Margherita di Moconesi, S. Ambrogio di Cornia, S. Giacomo di Gattorna.

Comune di Lorsica – S. Maria di Lorsica, S. Andrea di Verzi.

Comune di Lumarzo – S. Maria di Tasso, S. Stefano

di Pannesi, S. Maria Maddalena di Lumarzo, S. Tommaso di Boasi, S. Maurizio di Vallebona.

Comune di Favale – S. Vincenzo di Favale, S. Bernardo di Monteghirfo.

Comune di Orero – S. Ambrogio di Orero, S. Michele di Soglio.

Comune di Coreglia – S. Nicolò di Coreglia, S. Giacomo di Canevale, S. Martino di Zerega.

Comune di Cicagna – S. Gio. Battista di Cicagna, S. Bartolomeo di Campodesasco.

Comune di Neirone – S. Maurizio di Neirone, S. Lorenzo di Roccatagliata, S. Rocco di Ognio, S. Marco di Urri.

Comune di Carro – S. Lorenzo di Carro, S. Giorgio di Castello, S. Maria di Ziona.

Comune di Framura – S. Lorenzo di Castagnola, S. Martino di Framura (già Collegiata).

Comune di Carredano – S. Gio. Battista di Mattarana, S. Bartolomeo di Carrodano superiore, S. Felicita di Carrodano inferiore.

Comune di Deiva – S. Michele di Mezzema, S. Antonio Abate di Deiva, S. Maria di Piazza.

Comune di Borghetto di Vara – S. Andrea de L'ago.

Comune di Portovenere – S. Pietro e S. Lorenzo di Portovenere.

Iniungimus propterea et praescribimus ad consulendum bono dioecesanorum, ut omnia et singula documenta, paroecias et loca respicientia ab Archidioecesi Genuensi separata et disiuncta, et novo Clavarensi Episcopatui at-

tributa, a Cancellaria Archiepiscopatus Genuensis extrahantur et Cancellariae novae dioecesis Clavarensis, cui ea loca addicta et incorporata erunt, opportuna forma tradantur, et in ea perpetuo asservari debeant.

Quod autem pertinet ad Clavarensis dioecesis curationem ac regimen, de Apostolicae potestatis plenitudine decernimus et mandamus, ut Archiepiscopus Genuensis pro tempore, Clavarensis dioecesis, ut supra constitutae, ad beneplacitum Apostolicae Sedis administrator sit, et usque dum aliter non provideatur, hoc nomine et potestate ei gubernandae et curandae praesit, ita tamen, ut Vicarius eius generalis in ea degat, ab eodem Archiepiscopo nonnisi ex consensu Apostolicae Sedis eligendus, qui idem Apostolicae Sedis gratia in Episcopum auxiliarem eiusdem Archiepiscopi pro tempore deputandus et constituendus erit, ut cum titulo Episcopi auxiliaris Clavarensis in hac nova dioecesi ea quae sunt ordinis et quae sunt iurisdictionis Vicario munere ad canonicas regulas exerceat. Archiepiscopus vero Genuensis pro tempore, titulum modo assumet administratoris Clavarensis dioecesis, atque huius tituli accessione nuncupandus et inscribendus erit.

Porro mensae episcopali Clavarensi pro eius dote annuum reditum duodecim millium Librarum Italicarum, quas in mensam episcopalem Clavarensem, memoratus sacerdos Franciscus Bancalari de sua substantia testamento legavit, perpetuo canonice assignamus et addicimus, huiusque annui reditus titulos infra nominando exe-

cutori tradi mandamus, ut ad commissam sibi executionem rite procedat. Hunc autem annuum proventum Episcopus auxiliaris pro nova dioecesi ab Apostolica Sede constitutus integrum percipiet, ut onera sui ministerii sustineat, et dignitatem suam congrue tueatur.

Perpetuo quoque, pro decenti Episcopi auxiliaris pro tempore habitatione, aedem aptae commodaeque structurae, quae Ecclesiae in Cathedralem Clavarensem constitutae contigua est, quaeque usui Archiepiscoporum Genuensium congrue inserviebat, adscribimus et assignamus.

Praeterea quod ad Capitulum Cathedrale attinet, volumus et statuimus, ut in Ecclesia Cathedrali desuper constituta, Collegium Canonicorum erigatur, quod iisdem iuribus, privilegiis et praerogativis gaudeat, quibus alia capitula cathedralia dioecesium in provincia Genuensi existentium ex iure communi fruuntur. Capitulum decem constabit Canonicis, qui singuli menstrua praebenda gaudebunt quinquaginta Librarum Italicarum, quae seorsum ab incertis emolumentis, integra et plena sit, et ab omni imminutione libera. Hisce autem praebendis syngraphas reditus publici assignamus, quae ex documentis exhibitis a curatoribus erectionis Clavarensis dioecesis, partim Sanctuarii in Cathedralem erecti propriae sunt, partim virorum piorum liberalitate oblatae sunt et depositi vinculo obstrictae, ex quibus omnibus summa conficitur annua Librarum Italicarum sex millium et duarum, quae, publicis impositionibus deductis, libera et integra est, et constitutae rationi praebendarum congrue respondet. Ca-

pitulo insuper cathedrali, quatuor in praesens, si fieri possit, presbyteri erunt adiecti, beneficiati seu mansionarii nuncupandi, quibus in divinis inserviendi munus incumbet, iisque ex ea summa, quam ex Sanctuarii reditibus annuatim superesse a praedictis curatoribus expositum est, congruus proventus attribuendus erit, ad eam nimirum stipendii rationem, quam hactenus sacerdotes Sanctuario addicti perceperunt. Tituli demum et documenta superius dicta ac syngraphae obligationum, quae ad piorum virorum oblationes referuntur, Executore ipso curante, auxiliari Episcopo Clavarensi ab hac Apostolica Sede constituto, opportuna forma tradantur.

Huiusmodi vero Collegii Canonicorum Cathedralis templi, dignitas erit Praepositi, eiusque dignitatis collatio, iuxta Apostolicae Cancellariae regulas, Nobis et Successoribus Nostris reservata est. Munia praeterea tum Canonici Theologi, tum Poenitentiarii, in Cathedrali Capitulo, iuxta canonicas regulas constituenda erunt, et servatis servandis conferenda.

Eidemque Capitulo Cathedralis Ecclesiae, ut sua statuta condat, quae ab Archiepiscopo Administratore eiusque auxiliari Episcopo expendenda erunt, eorumque approbatione sancienda, facultatem impertimus.

Curiam Episcopalem item in erecta dioecesi, eamque ad rectam formam quae in dioecesanis aliis curiis viget, institui et componi mandamus, ut in expediendis ecclesiastici ministerii et iurisdictionis negotiis Ordinario operam rite, accurate et opportune navare valeat.

Si Archiepiscopalem Sedem Genuensem vacare contigerit, decernimus ut Collegium Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Clavarensis Vicarium Capitularem ad canonica praescripta ex iure communi eligat, qui Clavarensis dioecesis, praedictae vacationis tempore, procuratione fungatur.

Quoniam vero magni momenti est ad sacerdotalis ministerii propagationem, alumnis sacri Ordinis, praesertim qui tenuiori rerum domesticarum conditione sunt, opportuna auxilia comparari, ut in spem Ecclesiae instituantur et excolantur, praecipimus, ut Seminario Clavarensi, favore praedictorum Clericorum, praeter reditus eiusdem Seminarii proprios, annuus proventus Librarum sex millium italicae monetae, supplementi nomine provideatur. In hoc supplementum congrua forma assignandi applicandi et conferendi sunt singuli proventus, quos curatores erectionis dioecesis Clavarensis, documentis Sacro Consilio rebus Consistorialibus praeposito exhibitis, recensuerunt, et quibus praedictam annuam summam Librarum sex millium plene et integre confici declararunt, comprehensis insuper obligationum syngraphis, quibus quatuor viri, pio spiritu adducti, ad integritatem eius summae praestandam, de suo conferre annuatim, si quid infra eam summam fuerit, receperunt.

Interim in hac nova utriusque dioecesis circumscriptione, si qua controversia inciderit, Clavarensem inter et Genuensem Curiam, quoad participationem utilitatum et bonorum, quae ex piis institutionibus et fundationibus

ad fideles universae Archidioecesis Genuensis pertinent, ipsam ex bono et aequo, et uti inter bonos agi oportet, Executore inferius nominando operam navante, dirimi volumus. Quod si in aliquibus rebus disceptationi locus fuerit, eae ad Sacrum Cardinalium Consilium Concilii Tridentini interpretum deferendae erunt, ut ab ipso prout de iure decernatur.

Praeterea omnia iura, gratias, indulta et privilegia Ecclesiae Beatae Mariae Virginis adnexa, quae sub titulo Dominae Nostrae de Monte Allegro in Rapallensi territorio a fidelibus veterem et praecipuum honorem habet, salva integra illaesa in hac Clavarensis dioecesis erectione permanere debere expresse declaramus, eaque ut firma et rata sint etiam in posterum Apostolica auctoritate confirmamus. Itemque volumus ut in aliis omnibus erectae dioecesis partibus, sua quibusque locis sacris, Collegiatis Ecclesiis, Basilicis, Abbatiis, iura, praerogativae, privilegia plena et integra constent, prout hactenus legitime viguerunt.

Firmiter porro confidimus fore ut quantum splendoris orientali Ligurum regioni ex Episcopali Sede in ea constituta accedit, tantumdem in eiusdem regionis fidelibus studium pro dignitate cultus, pro incremento pietatis et religionis augeatur, nec dubitamus suam eosdem fideles liberalitatem ad novae dioecesis utilitates pie collaturos, secum reputantes, quod Deus in Sacris Litteris docet; eos qui seminant in benedictionibus, de benedictionibus etiam esse messuros.

Tandem memoratae Ecclesiae Clavarensis, iuxta eius reditus canonicam Taxam de more in Florenis aureis de Camera Sexaginta statuimus, sicque in Libris Camerae inscribi et observari iubemus.

Praesentes vero Litteras et in eis contenta quaecumque, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis aliove quocumque vitio, intentionis Nostrae aut alio quovis defectu, quantumvis iuridico et substantiali, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere putantes, cuiuscumque conditionis et dignitatis existant, ad id vocati et auditi non fuerint, eisdemque praesentibus non consenserint, quorum consensui, quatenus opus fuerit, Apostolicae potestatis plenitudine supplemus, aut ex quacumque alia causa quantumvis legitima pia privilegiata, ac speciali nota digna, praemissa omnia et singula nunquam impugnari retardari invalidari infringi aut irritari posse, seu ad terminos iuris reduci, atque adversus illas oris aperitionem impetrari, ac illam in iudicio et extra illud allegari, quin imo omnia et singula praemissa semper et perpetuo firma valida et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuntios, ac alios quoscumque, quavis auctoritate potestate praerogativa fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctori-

tate, iudicari et definiri debere, et quidquid super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Quocirca Venerabilis Fratris Archiepiscopi Genuensis voluntati annuentes, per haec Apostolica scripta mandamus et committimus Venerabili Fratri Iosepho Boraggini Episcopo Savonensi et Naulensi, ut ipse ad praemissorum omnium executionem procedat, necessarias et opportunas ei impartiendo facultates, quibus ad hoc perficiendum negotium, alteram quoque idoneam personam in ecclesiastica dignitate constitutam subdelegare queat, ita tamen ut idem Iosephus Episcopus per se vel per ipsam subdelegatam personam valeat ea cuncta ordinare, facere, declarare, ac etiam definitive, omni appellatione penitus remota, decernere quae magis ad praemissa omnia probe feliciterque perficienda opportuna atque utilia iudicaverit, eidemque obligationem iniungimus, ut opportuno tempore, exemplum authentica forma confectum decretorum omnium, quae in executionem negotii huiusmodi emittet, ad Sacram Congregationem Consistorialem transmittat, ut inter acta eiusdem ea decreta asserventur.

Non obstantibus quae praemissis adversari possent, ac Nostra et Cancellariae Apostolicae regula « de iure quaesito non tollendo » nec non Lateranensis Concilii dismembrationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus Consti-

tutionibus et ordinationibus Apostolicis, dictaeque Ecclesiae Genuensis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis cum insolitis clausulis irritantibus, aliisque decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, itemque Consistorialiter, seu alias in contrarium facientibus, quomodolibet concessis approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis specialis specifice expressa et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si verbo ad verbum eisdem praesentibus inserti forent, pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium, et validitatis omnium et singulorum praemissorum, hac vice dumtaxat, motu scientia et potestatis plenitudine derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, abrogationis, dismembrationis, separationis, adiudicationis, evectionis, institutionis, praecepti,

statuti, mandati, commissionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo secundo, tertio nonas Decembris, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

A. Card. BIANCHI Pro-Dat. – S. Card. VANNVTELLI

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

P. Testa

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS VENERABILI DEI SERVO GERARDO MAJELLA
BEATORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Vitae innocentia « caelesti Agno qui pascitur inter lilia » potissimum grata, christianarum virtutum omnium fundamentum appellari iure potest. Hinc inter praeclarissimos Ecclesiae heroes illos praesertim adnumerandos ducimus, qui candidam in baptismate acceptam stolam nulla unquam macula inquinarunt, sed callidas communis hostis insidias strenue repellentes, primos florentis aetatis annos pravis cupidinibus obnoxios, gravissimas inter difficultates et laboriosa certamina castitate et sanctimonia insignes traduxere. Angelici hi iuvenes, quos singulari providentia Deus in benedictionibus dulcedinis praevenit, insignia divinae gratiae dona invicta fortitudine inter illecebras, et tot tantaque quae mundus molitur discrimina servantes, mira renident luce, hisce potissimum tam gravibus temporibus, christianae plebi in exemplum proponendi. Hos

inter Venerabilis Dei Servus Gerardus Maiella, laicus professus e Congregatione SSmi Redemptoris, merito recensendus est, qui et SS. Aloisii Gonzagae ac Stanislai Kostchae vestigiis ingressus, Angelus e caelo delapsus inter mortales apparuisse visus est, et praefatae religiosae Congregationi, iam amplissimis in rem catholicam meritis illustri, eximium decus atque ornamentum addidit. — Anno reparatae salutis MDCCXXVI Muri natus ab honestis piisque parentibus et Gerardi nomine in baptismate appellatus, pietatem excolere morumque integritatem, et erga parentes obedientiam exercere, divina suffultus gratia, ab ineunte aetate in deliciis habuit. Quare pueriles nugas fastidire, a vitiis abhorrere, rerum divinarum commentationi vacare, atque in suo horto, Cruce e lignis composita, Christi cruciatus meditari solebat. Post Deum, miro divinam Parentem amore prosequens, cum prima vernaret iuventa ad sacram illius aedem invisendam per salebrosos calles iter carpebat. Procul e civitate in honorem B. M. Virginis erectum sacellum extabat vulgari nomine de « Capitignano » appellatum, ibique sacrum Deiparae simulacrum divinum Infantem amplexantis colebatur. Cum quadam die Sacelli illius ad aram, intenta supplicatione, Virginis et Iesu opem ferventius imploraret, mirabile dictu, divinus Infans, matris ulnis relictis, in Gerardi amplexum procurrens, candidum illi panem porrexit; ipseque attonitis animis in suavissimo Iesu amplexu caelesti beatitudine perfusus haesit. Tanta Dei familiaritate mysticoque pane a divo puero donatus, ad Augu-

stum Sacramentum convertit mentem Gerardus, et maximo illius desiderio flagrans, ad Ecclesiam continuo advolavit. Forte sacerdos fidelibus Christi Corpus praebebat. Ille desiderio actus, fidelibus sese miscuit; sed puerum animadvertens, nutu eum a communione avertit Sacerdos. Rubore suffusus lacrimisque udus e sacra mensa recessit sese incusans, Deumque effusis precibus implorans; neque irrita fuere vota. Vespere enim Gerardo in cubiculo oranti, quem singulari pietatis studio venerabatur, nitidissima luce effulgens, S. Michael adstitit, propiusque accedens, sanctissimam puero hostiam praebuit, atque ad beatos choros extemplo remeavit. Cum dilecto suo Iesu consociatus pius adolescens, tanta Dei gratia et dilectione affectus fuit, non secus ac si beatas Paradisi sedes praesens Dei numen adspiceret. Itaque curas omnes cogitationesque suas ad maiores in virtutibus progressus efficiendos intendit, omnesque difficultates in illarum exercitatione invicte superans, poenitentiae et castitatis studio, ieiuniis, vigiliis, verberibus stimulos carnis compescebat. Interim parentibus nil potius fuit, quam ut adolescentis filii egregiam indolem liberalibus artibus erudirent, ad quas ille ita incubuit, ut a praeceptore tamquam exemplar discipulis proponeretur. Sed studiorum curriculum patris mors intercepit. Inopia circumventa mater, cuidam sarcinatori dilectum natum tradidit, ibique, Deo disponente, patientiae materia Gerardo non defuit. Etenim officinae magister, homo nequam et improbus atque ad iram pronus, parvulum, cuius pietatem in

spretu habebat, quamvis dicto audientem, dire vexabat, ac probris verbera addens, violentas in eum manus iniiciebat, neque raro humi stratum crudeli modo conculcabat. Saevos ille cruciatus, summo in Christum amore, patienti lubentique animo ferebat: sed effera vexatio tandem desiit, cum iuvenis sanctimoniam et ipse acerbus insectator perspexisset. Hanc vitae rationem ducens, enixis iugiter Deum precibus adibat, ut quaenam optima aetatis degendae ratio sibi esset ineunda ostenderet. — Accidit ut Presbyteri Congregationis SSmi Redemptoris Murum ad sacras expeditiones peragendas convenissent. Horum virtute cognita, arctissima illis amicitia coniungitur Gerardus, rogatque ut sibi inter illos nomen suum profiteri liceret. Malefirma iuvenis valetudine prae oculis habita, ipsius vota implere sacri Instituti moderator renuit, patientique animo id Gerardus tulit. Sed tandem, matris querimoniis lacrimisque posthabitis, tenax propositi, fuga domum relinquens, viamque corripiens, pervenit ad Patres, hosque supplici prece defatigans, a Moderatore, Deo adspirante, in religiosam familiam admittitur, atque inter fratres laicos cooptatur. Tyrocinio inito, tamquam a minacibus turbulenti maris fluctibus ereptus in tranquillitatis portum se contulisset, in optata coenobii mansione maiori studio sanctimoniae vacare coepit. Aeditimus constitutus, singulari pietatis studio demandati sibi muneris partes explebat, et quod iamdiu optarat, Sacramentum Augustum flexis genibus adorans, integras horas diu noctuque somni parcissimus insumebat. Concreditâ ipsi con-

rogandae stipis cura, pedetentim per compita et finitima loca incedens, patientiae et caritatis exemplar enituit. Maxima enim solertia atque animarum zelo improbos homines e vitiorum coeno revocare, et flexanimis verbis ad virtutem pietatemque excolendam impellere nitebatur; aegrotos et miseros humanis officiis recreabat. Nec frustra; quam plurimos ad morum integritatem atque ad honestam vitae rationem adduxit, aegrorumque saluti et pauperum commoditati solator atque altor consuluit. Afflatus divino spiritu, magis quam humana virtute impulsus videbatur; hinc Apostoli nomen illi inditum. Expleto tyrocinio, anno MDCCLII vota religiosa nuncupavit. Auspicatissima hac occasione fervidas humilesque Supremo Numini obtulit gratias, maiores se facturum in virtute progressus illius auxilio sperans. Iamque Coenobii ianitor renuntiatus, claves accipiens « en Paradisi claves » laetus exclamavit; et sane virtutes, quas in illo officio exercuit, caeli beatitudinem ei pepererunt. Sollicito regularis observantiae studio, ardentique erga proximum caritate, in humili eodem munere obeundo venerabilis Dei famulus praefulsit. Moderatorum enim iussa adamussim faciebat et, paupertatis studiosus, egenis continenter praesto erat, cibum illis etiam suum praebens, eosque opportunis monitis erudiens et suadens, ut in caelesti Patre « qui dat omnibus affluenter » spem suam collocarent. Quin etiam explorata uniuscuiusque natura, gratiam ab omnibus inire studebat, ut eos ad iustitiam honestatemque revocaret. Miram hanc Gerardi caritatem, qui humiles corde diligit

Deus etiam miraculis illustrare dignatus est. Ob frugum enim inopiam et annonae caritatem, illius loci incolae fame quasi enecti miserrimam vitam agebant. Tantae ut calamitati subveniret pius Dei servus, coenobii horreum aperuit, atque insperatum egentibus auxilium praebuit. Instituti moderator id moleste ferens, acribus eum verbis compellare non abstinuit, sed mirandum in modum horreum frumento redundavit, nec panis unquam in coenaculo defuit. Ea res magnam Dei famulo venerationem benevolentiamque conciliavit, et eum cuncti optimum tamquam parentem ducebant, ac sanctum appellabant. Quocumque incederet, laeto populorum concursu excipiebatur, quippe veluti e caelo delapsum suspiciebant, eiusque frui alloquio vehementer optabant. Quamvis autem litteras haud calleret, caelesti tamen lumine illustratus, nudo simplicique dicendi genere animorum motus et lacrimas ciebat; difficiles etiam quaestiones, Deique arcana explicabat. — Sed iam eius vitae finis adventabat, et ipse caelo maturus, brevi se moriturum praedixerat. Revera, mense Iunio Anno MDCCLV, gravi morbo correptus, animum suum confessione expiavit et Christi Corpore tamquam viatico instructus, Sacroque Oleo inunctus fuit. Cum ad vitae exitum properaret, stratis decumbens, repente sese excitans, « En Virgo advenit » exclamavit, et Deiparam sese invisentem adspiciens in extasim tamquam Seraphim, caelestique laetitia fruens, paulisper quievit. Mox suavissimum Mariae et Iesu nomen repetens, placide migravit ad Dominum. Annos expleverat XXIX, menses VI et dies VII.

Opinio quae de eius sanctimonia percrebuerat, accedentibus miraculis, quae a Deo patrata illius suffragio ferebantur, valde aucta et propagata fuit. Quam ob rem de Venerabilis Servi Dei vita et virtutibus delata est causa ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris tuendis Ritibus praepositorum, rebusque omnibus maturo iudicio perspectis, virtutes, quibus Dei Servus inclaruerat, heroicum attigisse gradum decrevit fel. rec. Pius PP. IX. Decessor Noster VI. Idus Iunii Anno MDCCCLXXVII. Postea de miraculis agi coepta est quaestio, quibus Venerabilis Dei famuli Gerardi Majella heroica virtus confirmari videbatur, ac diligenti examine constituto, cum quatuor ex illis vera atque explorata essent, Nos de illorum veritate decretum VIII Kalendas Apriles vertentis anni rite edidimus. Hoc unum supererat nempe ut memoratae Congregationis Cardinales interrogarentur, num Venerabilem Dei Servum inter Beatos recenseri posse existimarent, et ipsi in generali conventu coram Nobis habito VI Kalendas Maias vertentis anni tuto id fieri posse unanimiter responderunt. Attamen in re tanti momenti Nostram mentem pandere distulimus donec ferventi prece a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, die ex beatissimo ortu B. Mariae Virginis consecrato anni huiusce MDCCCXCII, sollemni decreto pronunciavimus: procedi tuto posse ad solemnem Venerabilis Dei famuli Gerardi Majella Beatificationem. — Quae cum ita sint, universi Ordinis Presbyterorum Congregationis SSmi Redemptoris supplicationibus

permoti, de memoratae Congregationis Cardinalium consilio et assensu, auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi, facultatem facimus ut Venerabilis Dei famulus Gerardus Majella, laicus professus e Congregatione SSmi Redemptoris, Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, et Imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de Illo recitetur quotannis Officium et Missa de communi Confessorum non Pontificum cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero officii recitationem et Missae celebrationem dumtaxat concedimus in civitatibus ac dioecesibus Muran. et Compsan., necnon in omnibus templis et religiosis domibus Presbyterorum Congregationis SSmi Redemptoris ab omnibus Christifidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et quoad Missas attinet ab omnibus Sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad ecclesias, in quibus festum agitur, confluentibus. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis Venerabilis Dei famuli Gerardi Majella in templis supradictis celebrentur cum officio et Missis duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium praefinienda, intra primum annum postquam eadem sollemnia in Aula superiori Porticus Basilicae Vaticanae per Nos celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Vo-

lumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii supradictae Congregationis Sacris Ritibus praepositae subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die VI Decembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

L. ✠ S.

S. CARD. VANNVTELLI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
HENRICO EPISCOPO TIT. LYDDENSI
VICARIO CAPITVLARI ARCHIDIOECESIS CAMERACENSIS
CAMERACVM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Eximia pietas et devota voluntas, qua a catholicis colimur duarum Galliae regionum, quae a boreali plaga et freto oceani nomen habent, pluribus quidem et illustribus comperta Nobis fuerat indiciis; verum nescimus an iucundius aliud ad Nos pervenerit pietatis huiusce testimonium prae iis litteris, quae nuper ad Nos, te praeeunte, sunt datae ab iis qui annuum conventum generalem vicesimum Insulis celebrarunt. Ea namque erant rerum et temporum adiuncta, ea scribentium studia, ut nihil videretur cogitari opportunius aut scribi posse praestantius. Summa nimirum docilitas et observantia qua Nostra excepta sunt monita, voluntas paratissima ad ea praestanda quae suademus, studium avitae fidei firmiter retinendae sic enite-

bant in ea scriptione, ut paternum animum Nostrum delectarent suavissime. Novimus equidem quam plures esse in Galliis huius pietatis, zeli et constantiae imitatores; at si vestri cives omnes idem vobiscum sentirent ac saperent, hoc demum laetitiae Nostrae cumulum afferret, Nostraque expleret vota, quae non minus ad religionis incrementum et decus pertinent, quam ad inclitae gentis vestrae incolumitatem et gloriam. — Sperantes interea preces Nostras, quae ob eam rem summo adhibemus Deo, comprecatione tua, Venerabilis Frater, totiusque coetus qui Insulis tecum coivit adiutum iri, uberem vobis adprecamur caelestium munerum copiam, et Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Decembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS ITALIAE

—

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Inimica vis, instinctu impulsuque mali daemonis cum christiano nomine sueta confligere, certos homines sibi semper adiunxit, in id consociatos ut traditas divinitus doctrinas deditâ operâ pervertere, ipsamque christianam rempublicam distrahere funestis dissidiis conarentur. Atque istae velut compositae ad oppugnationem cohortes, nemo nescit quantam Ecclesiae cladem omni tempore attulerint. — Iamvero sectarum, quotquot antea fuere institutis catholicis infensae, in ea revixere spiritus, quae *secta Massonica* nominatur, quaeque virium et opum valida, acerrimam bello facem praeferens, quidquid usquam sacri est, aggreditur. Eam quidem, quod probe nostis, saeculi unius dimidiatique spatio, romanorum Pontificum decessorum Nostrorum non semel sed saepius sententia proscripsit:

eamdem Nosmetipsi, ut oportebat, damnavimus, monitis vehementer populis christianis, ut eius insidias summa providentia caverent, conatusque nefarios fortiter, ut asseclas Iesu Christi decet, refutarent. Quin etiam, ne obreperet ignavia et sopor, consulto studuimus sectae perniciosissimae aperire mysteria, et quibus artibus in excidium catholicae rei niteretur, velut intento digito demonstravimus. — Nihilominus, si fateri volumus id quod res est, plurimos italorum parum cautos parumque providos inconsiderata quaedam securitas facit: ideo magnitudinem periculi aut omnino non vident, aut non ex veritate metiuntur. Atqui fides avita, parta hominibus per Iesum Christum salus, et quod consequens est, ipsa christianae humanitatis benefacta in discrimine vertuntur. Siquidem nihil timens, nemini cedens, maiora quotidie audet secta Massonum: totas civitates velut contagio invasit, omnibusque reipublicae institutis se implicare altius in dies nititur, coniurata, quod passim solet, catholicam religionem, principium et fontem bonorum maximorum, italico generi eripere. — Hinc adhibitae ad oppugnandam fidem divinam infinitae artes; hinc spreta, oppressa legibus, legitima Ecclesiae libertas. Receptum et doctrina et re, non vim non rationem in Ecclesia perfectae societatis inesse: antistare rempublicam, sacraeque potestati principatum civilem antecedere. Ex qua doctrina perniciosa et falsa, Sedis Apostolicae iudicio saepe damnata, cum mala multa consequuntur, tum hoc maxime, ut inferant se gubernatores rei civilis, quo minime fas est, nec vereantur ad se tra-

ducere quod Ecclesiae detraxerint. — Videtis in beneficiis ecclesiasticis illud quale sit, quod ius percipiendi fructus sibi arrogant dare, demere, ad arbitrium. Nec alterum minus insidiosum, quod Clerum inferioris ordinis permulcere pollicitando cogitant. Quae res quorsum pertineat, facile est dispicere, maxime quia ipsi huius consilii auctores non satis curant occultare quid velint. Volunt nimirum administros sacrorum in partes suas blande compellere, permistosque semel rebus novis ab obsequio legitimae potestatis divellere. Quamquam haud satis hac in re videntur Clericorum nostratium cognosse virtutem: qui sane tot iam annos, tam multis modis exerciti, exempla abstinentiae et fidei edidere non obscura, ut omnino confidendum sit, in eadem religione officii, qualiacumque tempora inciderint, Deo adiutore, constanter permansuros.

At vero ex his, quae perbreviter attigimus, facile apparet quid possit secta Massonum, itemque quid expetat ut extremum. Quod autem auget malum, quodque cogitare sine magna animi sollicitudine non possumus, nimis multi etiam ex nostratibus numerantur, quos nomen sectae operamve dare, suarum spes utilitatum et misera ambitio subigit. — Quae cum ita sint, episcopalem caritatem vestram, urgente propositum conscientia officii, appellamus, Venerabiles Fratres, in primisque petimus ut eorum, quos modo diximus, sit vobis proposita salus: in iis ab errore certissimoque interitu revocandis assidue et constanter vestra certet industria. Extricare posse, qui se Massonum impedivit in plagas, res profecto est et multi

negotii et exitu anceps, si sectae ingenium spectetur: nullius tamen desperanda sanatio, quia caritatis apostolicae mira vis est, Deo nimirum opitulante, cuius in potestate arbitrioque ipsae sunt hominum voluntates.

Dein excubandum in omnem occasionem, ut sanari ii quoque possint, qui timiditate in hoc genere peccant: qui videlicet non suopte ingenio pravo, sed mollitiâ animi atque inopiâ consilii ad favendum coeptis Massonicis delabuntur. Admodum gravis est illa Felicis III decessoris Nostri in hanc rem sententia: *Error, cui non resistitur, approbatur; et veritas, quae non defensatur, opprimitur..... Non caret scrupulo societatis occultae, qui evidenti facinori desinit obviare.* Fractos horum spiritus attollere necesse est, traducendis cogitationibus ad exempla maiorum, ad custodem officii et dignitatis, fortitudinem, ut pigeat omnino ac pudeat facere quicquam aut fecisse non viriliter. Est enim vita nostra omnis cuidam dimicationi proposita, in qua maxime de salute decernitur, nihilque homini christiano turpius, quam claudicare in officio propter ignaviam.

Pariter omnibus modis fulciendi, qui per imprudentiam ruunt: de iis intelligimus, nec exiguo numero, qui simulatione capti variisque illecebris deliniti, illigari se societate Massonica sinunt, inscii quid agant. De his magna spes esse debet, Venerabiles Fratres, aliquando, Deo aspirante, posse errorem deponere et vera cernere, maxime si vos, quod vehementer rogamus, studueritis fictam sectae speciem detrahere, et occulta consiliorum retegere. Quamquam haec ne occulta quidem nunc videri possunt,

posteaquam ipsimet conscii multis modis prodidere. His ipsis postremis mensibus audita iterum per Italiam vox est consilia Massonum usque ad ostentationem vulgo enunciantis. Repudiari funditus religionem Deo auctore constitutam, atque omnia cum privata tum publica meris *naturalismi* principiis administrari volunt: idque instaurationem societatis civilis impie simul ac stulte appellant. Quo igitur praecipitatura civitas, si populus christianus non induxerit animum vigilare, laborare, saluti consulere?

Sed in tanta rerum malarum audacia, nec satis est cavere sectae teterrimae insidias: illud quoque necessarium, capessere pugnam: idque sumptis a fide divina armis iis ipsis, quae olim contra *ethnicismum* valuerunt. Quapropter vestrum est, Venerabiles Fratres, accendere suasione, hortatu, exemplo animos: et in Clero populoque nostro studium religionis salutisque fovere operosum, constans, impavidum, cuiusmodi apud catholicos ex gentibus ceteris in similibus caussis haud raro videmus enitescere. Ardorem animi pristinum in fide avita tuenda, vulgo aiunt apud italas gentes deferbuisse. Nec fortasse falso: propterea quod si animorum habitus utrimque spectetur, plus quidem videntur adhibere contentionis qui inferunt religioni bellum, quam qui propulsant. At vero salutem cupientibus nihil medium inter laboriosum certamen aut interitum. Itaque in socordibus et languidis excitanda, vobis adnitentibus, virtus est: in strenuis, tuenda: pariterque omni dissidiorum extincto semine, efficiendum ut du-

ctu auspiciisque vestris una omnes mente eademque disciplina in certamen animose descendant.

Gravitate rei, prohibendique periculi necessitate perspecta, ipsum Italiae populum compellare litteris decrevimus. — Eas litteras una cum his ad vos, Venerabiles Fratres, curavimus perferendas: eritque diligentiae vestrae quam latissime propagare in vulgus, itemque opportuna explanatione, ubi opus esse videatur, populo interpretari. Qua ratione, ita adsit propitius Deus, spes est futurum, ut excitentur animi prementium contemplatione malorum, et ad remedia, quae indicavimus, sese sine cunctatione convertant.

Divinorum munerum auspicem, et benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, populisque fidei vestrae concreditis, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Decembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LETTERA

DEL SANTISSIMO SIGNOR NOSTRO

LEONE PAPA XIII

AL POPOLO ITALIANO

—

Diletti Figli

Custodi di quella fede, a cui le nazioni cristiane van debitrici del loro morale e civile riscatto, Noi mancheremmo ad uno dei Nostri supremi doveri, se non levassimo spesso e ben alto la voce contro l' empia guerra, onde si tenta, diletti figli, rapirvi sì prezioso tesoro. — Di questa guerra, ammaestrati omai da lunga e dolorosa esperienza, voi ben conoscete le terribili pruove, e nel vostro cuore di cattolici e d' italiani altamente la deplorate. E veramente si può essere italiani di nome e di affetto, e non risentirsi delle offese che si fanno tuttodì a quelle divine credenze, che sono la più bella delle nostre glorie, che dettero all' Italia il primato sulle altre nazioni ed a Roma lo scettro spirituale del mondo; che sulle rovine del paganesimo e della barbarie fecero sorgere il mirabile edifizio della cristiana civiltà? Si può

essere di mente e di cuore cattolici, e mirare con occhio asciutto, in quella terra medesima nel cui grembo l'adorabile nostro Redentore si degnò stabilire la sede del suo regno, impugnate le sue dottrine, oltraggiato il suo culto, combattuta la sua Chiesa, osteggiato il suo Vicario, perdute tante anime redente col suo sangue, la porzione più eletta del suo gregge, un popolo stato per ben diciannove secoli a lui sempre fedele, esposto ad un continuo e presentissimo pericolo di apostatar dalla fede, e sospinto in una via di errori e di vizî, di materiali miserie e di morale abbiezione?

Diretta ad un tempo contro la patria celeste e la terrena, contro la religione dei nostri padri e la civiltà trasmessaci con tanto splendore di scienze lettere ed arti da loro, la guerra di cui parliamo, voi lo capite, diletti figli, è doppiamente scellerata, e rea non meno di umanità offesa che di offesa divinità. — Ma d' onde essa muove principalmente se non da quella setta massonica, della quale discorremmo a lungo nell' Enciclica *Humanum genus* dei 20 di Aprile 1884 e nella più recente dei 15 Ottobre 1890 indirizzata ai Vescovi, al Clero e al Popolo d' Italia? Con queste due Lettere strappammo dal viso della Massoneria la maschera onde velavasi agli occhi dei popoli, e la mostrammo nella cruda sua deformità, nella sua tenebrosa e funestissima azione.

Ci restringiamo questa volta a considerarne i deplorevoli effetti rispetto all' Italia. Imperocchè traforatasi già da gran tempo sotto le speciose sembianze di società

filantropica e redentrice dei popoli nel nostro bel paese, e per via di congiure, di corruttele e di violenze giunta finalmente a dominare l'Italia e questa medesima Roma, a quanti disordini, a quante sciagure non ha essa in poco più di sei lustri spalancata la via?

Mali grandi in sì breve giro di tempo ha veduto e patito la patria nostra. — La religione dei nostri padri è stata fatta segno a persecuzioni di ogni sorta, col satanico intento di sostituire al cristianesimo il naturalismo, al culto della fede il culto della ragione, la morale così detta indipendente alla morale cattolica, al progresso dello spirito quello della materia. Alle sante massime e leggi del Vangelo si è osato contrapporre leggi e massime che possono chiamarsi il codice della rivoluzione, e un insegnamento ateo ed un verismo abbietto alla scuola, alla scienza, alle arti cristiane. Invaso il tempio del Signore, si è dissipata con la confisca dei beni ecclesiastici la massima parte del patrimonio necessario ai santi ministeri, assottigliato con la leva dei chierici oltre i limiti dell'estremo bisogno il numero dei sacri ministri. Se l'amministrazione dei Sacramenti non fu potuta impedire, si cerca però in tutti i modi d'introdurre e promuovere matrimonî, e funerali civili. Se ancora non si riuscì a strappare affatto dalle mani della Chiesa l'educazione della gioventù ed il governo degli istituti di carità, si mira sempre con isforzi perseveranti a tutto laicizzare, che val quanto dire a cancellare da tutto l'impronta cristiana. Se della stampa cattolica non si è potuto sof-

focare la voce, si fece ogni opera di screditarla ed avvilirla.

E pur di osteggiare la religione cattolica, quali parzialità e contraddizioni! Si chiusero monasteri e conventi; e si lasciano moltiplicare a lor grado logge massoniche e covi settarî. Si proclamò il diritto di associazione; e la giuridica personalità, di cui associazioni di ogni colore usano e abusano, è negata ai religiosi sodalizî. Si bandì la libertà dei culti; e intanto odiose intolleranze e vessazioni si riserbano proprio a quello, che è la religione degl' italiani, ed a cui perciò dovrebbe assicurarsi rispetto e patrocinio speciale. A tutela della dignità e indipendenza del Papa si fecero proteste e promesse grandi; e voi vedete a quai vilipendî venga quotidianamente fatta segno la Nostra persona. — Qualsiasi specie di pubbliche manifestazioni trova libero il campo; solamente or l' una or l' altra delle dimostrazioni cattoliche è o vietata o disturbata. S' incoraggiano nel seno della Chiesa scismi, apostasie, ribellioni ai legittimi superiori; i voti religiosi e segnatamente la religiosa ubbidienza si riprovano come cose contrarie alla libertà e dignità umana: e intanto vivono impunite empie congreghe, che legano con giuramenti nefandi i loro adepti, ed esigono anche nel delitto ubbidienza cieca e assoluta.

Senza esagerare la potenza massonica attribuendo all'azione diretta e immediata di lei tutti i mali che nell' ordine religioso presentemente ci travagliano, nei fatti che abbiam ricordato e in molti altri che potremmo ri-

cordare vi si sente il suo spirito; quello spirito che, nemico implacabile di Cristo e della Chiesa, tenta tutte le vie, usa tutte le arti, si prevale di tutti i mezzi per rapire alla Chiesa la sua figlia primogenita, a Cristo la nazione prediletta, sede del suo Vicario in terra e centro della cattolica unità. L'influenza malefica ed efficacissima di questo spirito sulle cose nostre non occorre oggi congetturarla da pochi e fuggevoli indizî, nè argomentarla dalla serie dei fatti che da trent' anni si succedono. Inorgoglita dai successi, la setta stessa ha parlato alto e ci ha detto ciò che fece in passato, ciò che si propone di fare in avvenire. Le pubbliche potestà, consapevoli o no, essa le risguarda in sostanza come stromenti suoi: il che vuol dire che della persecuzione religiosa che ha tribolato e tribola l'Italia nostra, l'empia setta mena vanto come di opera principalmente sua, di opera eseguita spesso con altre mani, ma per modo immediato o mediato, diretto o indiretto, di lusinga o di minaccia, di seduzione o di rivoluzione, ispirata, promossa, incoraggiata, aiutata da lei.

Dalle rovine religiose alle sociali brevissima è la via. — Non più sollevato alle speranze e agli amori celesti il cuore dell'uomo, capace e bisognoso dell'infinito, gittasi con ardore insaziabile sui beni della terra; ed ecco necessariamente, inevitabilmente una lotta perpetua di passioni avide di godere, di arricchire, di salire, e quindi una larga ed inesausta sorgente di rancori, di scissure, di corruttele, di delitti. Nella nostra Italia morali e so-

ciali disordini non mancavano certo anche prima delle presenti vicende; ma che doloroso spettacolo non ci porge essa ai dì nostri! Nelle famiglie è assai menomato quell'amoroso rispetto che forma le domestiche armonie: l'autorità paterna è troppo sovente sconosciuta e dai figli e dai genitori; i dissidî sono frequenti, i divorzî non rari. Nelle città crescono ogni dì le discordie civili, le ire astiose tra i varii ordini della cittadinanza, lo sfrenamento delle generazioni novelle che cresciute all'aura di malintesa libertà non rispettano più nulla nè in alto nè in basso, gl'incitamenti al vizio, i delitti precoci, i pubblici scandali. Lo Stato invece di star pago all'alto e nobilissimo ufficio di riconoscere, tutelare, aiutare nella loro armoniosa universalità i divini e gli umani diritti, si crede quasi arbitro di essi, e li disconosce o li ristringe a capriccio. L'ordine sociale infine è generalmente scalzato nelle sue fondamenta. Libri e giornali, scuole e cattedre, circoli e teatri, monumenti e discorsi politici, fotografie e arti belle, tutto cospira a pervertire le menti e corrompere i cuori. Intanto i popoli oppressi e ammiseriti fremono; le sette anarchiche si agitano; le classi operaie levano il capo e vanno a ingrossar le file del socialismo, del comunismo, dell'anarchia; i caratteri si fiaccano, e tante anime non sapendo più nè degnamente patire, nè virilmente redimersi dai patimenti, abbandonano da se stesse, col suicidio, codardamente la vita.

Ecco i frutti che a noi italiani ha recato la setta massonica. E dopo ciò essa ardisce di venirvi innanzi ma-

gnificando le sue benemerenze verso l'Italia, e di dare a Noi e a tutti coloro che, ascoltando la Nostra parola, rimangono fedeli a Gesù Cristo, il calunnioso titolo di nemici della patria. Quali siano verso la nostra penisola i meriti della rea setta, omai, giova ripeterlo, lo dicono i fatti. I fatti dicono che il patriottismo massonico non è che un egoismo settario, bramoso di tutto dominare, signoreggiando gli stati moderni che nelle mani loro raccolgono ed accentrano tutto. I fatti dicono che, negl'intendimenti della massoneria, i nomi d'indipendenza politica, di uguaglianza, di civiltà, di progresso miravano ad agevolare nella patria nostra l'indipendenza dell'uomo da Dio, la licenza dell'errore e del vizio, la lega di una fazione a danno degli altri cittadini, l'arte dei fortunati del secolo di godersi più agiatamente e deliziosamente la vita, il ritorno di un popolo redento col divin sangue alle divisioni, alle corruttele, alle vergogne del paganesimo.

E non accade maravigliarci di ciò. — Una setta che dopo diciannove secoli di cristiana civiltà si sforza di abbattere la Chiesa cattolica, e reciderne le divine sorgenti; che, negatrice assoluta del soprannaturale, ripudia ogni rivelazione, e tutti i mezzi di salute che la rivelazione ci addita; che pei disegni e le opere sue fondasi unicamente e interamente sopra una natura inferma e corrotta come è la nostra; tale setta non può esser altro che il sommo dell'orgoglio, della cupidigia, della sensualità. Ora l'orgoglio opprime, la cupidigia spoglia, la sensualità corrompe; e quando queste tre concupiscenze giungono al

grado estremo, le oppressioni, gli spogliamenti, le corruttele seduttrici, via via allargandosi prendono dimensioni smisurate, diventano oppressione, spogliamento, fomite corruttore di tutto un popolo.

Lasciate dunque che, rivolgendo a voi la Nostra parola, vi additiamo la Massoneria, come nemica ad un tempo di Dio, della Chiesa e della nostra patria. Riconoscetela come tale praticamente una volta, e con tutte le armi, che ragione, coscienza e fede vi pongono in mano, schermitevi da sì fiero nemico. Niuno si lasci illudere dalle sue belle apparenze, niuno allettare dalle sue promesse, sedurre dalle sue lusinghe, atterrire dalle sue minacce. Ricordatevi che essenzialmente inconciliabili tra loro sono cristianesimo e massoneria; sì che aggregarsi a questa è un far divorzio da quello. Tale incompatibilità tra le due professioni di cattolico e di massone omai, diletti figli, non potete ignorarla: ve ne avvertirono apertamente i Nostri Predecessori, e Noi per ugual modo ve ne ripetemmo altamente l'avviso.

Coloro pertanto che per somma disgrazia han dato il nome ad alcuna di queste società di perdizione, sappiano che sono strettamente tenuti a separarsene, se non vogliono restar divisi dalla comunione cristiana, e perdere l'anima loro nel tempo e nell'eternità. Sappiano altresì i genitori, gli educatori, i padroni e quanti han cura di altri, che obbligo rigoroso li stringe d'impedire al possibile che entrino nella rea setta i loro soggetti, o che, entrati, vi rimangano.

Preme poi, in cosa di tanta importanza e dove la seduzione ai dì nostri è così facile, che il cristiano si guardi dai primi passi, tema i più leggeri pericoli, eviti ogni occasione, prenda le più sollecite precauzioni, usi insomma, secondo il consiglio evangelico, pur serbando in cuore la semplicità della colomba, tutta la prudenza del serpente. — I padri e le madri di famiglia, si guardino dall'accogliere in casa e di ammettere all'intimità delle confidenze domestiche persone ignote, o almeno quanto a religione non conosciute abbastanza; procurino invece di accertarsi prima che sotto il manto dell'amico, del maestro, del medico, o di altro benevolo non si celi un astuto arrolatore della setta. Oh in quante famiglie il lupo penetrò in veste di agnello!

Bella cosa sono le svariatissime società, che oggi in ogni ordine di sociale attinenza con fecondità prodigiosa sorgono da per tutto: società operaie: di mutuo soccorso, di previdenza, di scienze, di lettere, di arti, e simiglianti, e quando siano informate da buono spirito morale e religioso, tornano certamente proficue e opportune. Ma poichè qui pure, anzi qui specialmente è penetrato e penetra il veleno massonico, si abbiano per generalmente sospette, e si evitino le società che sottraendosi ad ogni influsso religioso, possono facilmente esser dirette e dominate più o meno da massoni, come quelle che, oltre a porgere aiuto alla setta, ne sono, può dirsi, il semenzaio e il tirocinio.

A società filantropiche, di cui non ben conoscano la

natura e lo scopo, non si ascrivano facilmente le donne senza essersi prima consigliate con persone sagge e sperimentate; giacchè passaporto alla merce massonica è spesso quella ciarliera filantropia, contrapposta con tanta pompa alla carità cristiana.

Con gente sospetta di appartenere alla massoneria o a sodalizî ad essa aggregati badisi ognuno di non aver amicizia o dimestichezza: dai loro frutti li conosca e li fugga. E non pur di coloro che, palesemente empî e libertini, portano in fronte il carattere della setta, ma di quelli ancora si eviti il tratto familiare, che si occultano sotto la maschera di universale tolleranza, di rispetto a tutte le religioni, di smania di voler conciliare le massime del vangelo e le massime della rivoluzione, Cristo e Belial, la Chiesa di Dio e lo Stato senza Dio.

Libri e giornali, che stillano il tossico dell'empietà e che attizzano negli umani petti il fuoco delle cupidigie sfrenate e delle sensuali passioni: circoli e gabinetti di lettura, ove lo spirito massonico si aggira cercando chi divorare, siano al cristiano, e ad ogni cristiano, luoghi e stampa che fanno orrore.

Se non che, trattandosi di una setta che ha tutto invaso, non basta tenersi contro di lei in sulle difese, ma bisogna coraggiosamente uscire in campo ed affrontarla. Il che voi, diletti figli, farete, opponendo stampa a stampa, scuola a scuola, associazione ad associazione, congresso a congresso, azione ad azione.

La Massoneria si è impadronita delle scuole pubbli-

che; e voi con le scuole private, con le paterne, con quelle di zelanti ecclesiastici e di religiosi dell'uno e l'altro sesso contendetele l'istruzione e l'educazione della puerizia e gioventù cristiana, e soprattutto i genitori cristiani non affidino l'educazione dei loro figli a scuole non sicure. Essa ha confiscato il patrimonio della pubblica beneficenza: e voi supplite col tesoro della privata carità. Nelle mani de'suoi adepti ha ella messo le Opere pie: e voi quelle che da voi dipendono affidatele a cattolici istituti. Ella apre e mantiene case di vizio; e voi fate il possibile per aprire e mantenere ricoveri all'onestà pericolante. A'suoi stipendî milita una stampa religiosamente e civilmente anticristiana; e voi con l'opera e col danaro aiutate, promovete, propagate la stampa cattolica. Società di mutuo soccorso ed istituti di credito sono fondati da lei a pro de' suoi partigiani; e voi fate altrettanto non solo pei vostri fratelli, ma per tutti gl'indigenti, mostrando che la vera e schietta carità è figlia di Colui, che fa sorgere il sole e cadere la pioggia sui giusti e sui peccatori.

Questa lotta del bene col male si estenda a tutto, e cerchi, in quanto è possibile, di riparare tutto. La massoneria tiene frequenti congressi per concertar nuovi modi da combattere la Chiesa; e voi teneteli frequentemente per meglio intendervi intorno ai mezzi e all'ordine della difesa. Ella moltiplica le sue logge; e voi moltiplicate circoli cattolici e comitati parrocchiali, promovete associazioni di carità e di preghiera, concorrete a mantenere

ed accrescere lo splendore del tempio di Dio. La setta, non avendo più nulla a temere, mostra oggi il viso alla luce del giorno; e voi, cattolici italiani, fate anche voi aperta professione della vostra fede, ad esempio dei gloriosi vostri antenati, che innanzi ai tiranni, ai supplizî, alla morte la confessavano intrepidi, e l'autenticavano con la testimonianza del sangue. Che più? Si sforza la setta di asservire la Chiesa, e di metterla, umile ancella, ai piedi dello Stato? E voi non cessate di chiederne e, dentro le vie legali, di rivendicarne la dovuta libertà e indipendenza. Cerca essa di lacerare l'unità cattolica, seminando nel clero stesso zizzania, suscitando contese, fomentando discordie, aizzando gli animi all' insubordinazione, alla rivolta, allo scisma? E voi, stringendo vieppiù il sacro nodo della carità e dell'obbedienza, sventate i suoi disegni, mandate a vuoto i suoi tentativi, deludete le sue speranze. Come i primitivi fedeli, siate tutti un cuore ed un'anima; e raccolti intorno alla Cattedra di Pietro, uniti ai vostri Pastori, tutelate gl'interessi supremi della Chiesa e del Papato, che sono altresì i supremi interessi dell'Italia e di tutto il mondo cristiano. — Ispiratrice e gelosa custode delle italiche grandezze fu sempre l'Apostolica Sede. Siate dunque italiani e cattolici, liberi e non settarii, fedeli alla patria e insieme a Cristo ed al visibile Vicario suo, persuasi che un' Italia anticristiana e antipapale sarebbe opposta all'ordinamento divino, e quindi condannata a perire.

Diletti figli, la religione e la patria vi parlano in

questo momento per bocca Nostra. Deh ascoltate il loro grido pietoso, sorgete unanimi e combattete virilmente le battaglie del Signore. Il numero, la baldanza, la forza dei nemici non vi atterriscano; chè Dio è più forte di loro, e se Dio è con voi, che potranno essi contro di voi?

Affinchè poi con maggior copia di grazie Iddio sia con voi, con voi combatta, con voi trionfi, raddoppiate le vostre preghiere, accompagnatele coll'esercizio delle cristiane virtù e specialmente coll'esercizio della carità verso i bisognosi, e rinnovando ogni dì le promesse del Battesimo, implorate umilmente, istantemente, perseverantemente le divine misericordie.

Come auspicio di queste, e come pegno altresì della Nostra paterna dilezione, v'impartiamo, diletti figli, la benedizione Apostolica.

Dato a Roma, presso S. Pietro, il giorno 8 Decembre 1892, anno decimoquinto del Nostro Pontificato.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS FERIA QVARTA PENVLTIMAE
ANNI ECCLESIASTICI HEBDOMADAE IN DIEM FESTVM
PRO BORVSSIAE DIOECESIBVS EVEHITVR

—

VENERABILI FRATRI
PHILIPPO ARCHIEPISCOPO COLONIENSI

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Qua ex singulari divinae Providentiae consilio urgemur, totius catholici gregis cura Nos admonet, ut sedulo attentoque studio praestemus, quae in exploratam Christifidelium utilitatem cedant. Iam vero Praedecessores Nostri Romani Pontifices, etsi nihil iis unquam antiquius visum sit, quam ut christianus populus veneretur Sabbatha Domini, tamen cum gravis momenti rationes id suaserint, in praescribendis diebus festis, eorumque celebratione, non spirituali tantum emolumento gentium consuluerunt, verum etiam temporalibus earum necessitatibus,

opportune ac salubriter, pro temporum et locorum circumstantiis, obvenire non renuerunt. Hac mente Leo PP. XII fel. rec. Praedecessor Noster, Apostolicis Litteris eadem hac forma datis ad praedecessorem tuum Ferdinandum Augustum Archiepiscopum Coloniensem, die II mensis decembris anno MDCCCXXVIII, ipsi aliisque, quoad tum patebat Borussia, sacrorum Antistitibus, nempe Trevirensi, Monasteriensi, Paderbonensi, Gnesnensi et Posnaniensi, Culmensi, Wratislaviensi, nec non Varmiensi, mandavit, ut in sua quisque dioecesi eumdem festorum ordinem auctoritate Apostolica ediceret, qui in provinciis regni Borussici orientalibus ex Apostolicis Clementis PP. XIV et Pii PP. VI, Nostrorum Praedecessorum Litteris tunc vigebat. Porro cum per similes Litteras ad Antonium Episcopum Paphensem Vicarium Apostolicum et Decanum Wratislaviensem, die XIX mensis aprilis anno MDCCLXXXVIII datas, Pius PP. VI. rec. mem. Praedecessor Noster, Borussici Regis optatis annuens, statuendum curaverit, ut pro dioecesanis Borussico eidem Regi subiectis, designaretur quotannis dies pro sollemnibus Deo supplicationibus peragendis ad uberes ex agris fructus obtinendos, hicque dies scilicet feria quarta tertiae hebdomadae post Pascha, ex tunc sicuti festivus habitus fuerit, hinc factum est, ut tam praedictus praedecessor tuus Archipraesul Coloniensis, quam alii supradictarum dioecesium antistites, in disponendis festis pro iisdem Borussici regni dioecesibus, inter alia id ipsum Pii PP. VI. decretum pro lege habuerint, et festorum ordini, quem, Friderico

Guilelmo III. Rege Borussico auspice, earumdem dioecesium praesules anno MDCCCXXIX promulgarunt, feriam quartam tertiae post Pascha hebdomadae, tamquam festum diem pro sollemnibus Deo supplicationibus ad uberes ex agris proventus obtinendos, inseruerint. Huic autem feriae quartae deinceps sollemniter celebrandae in singulis iisdem dioecesibus festum aliquod addixere, nempe; I. pro archidioecesi Coloniensi Patrocinium Sancti Iosephi; II. pro dioecesi Trevirensi festum Tunicae et Lanceae Domini Nostri Iesu Christi; III. pro dioecesi Monasteriensi festum S. Ludgeri; IV. pro dioecesi Paderbonensi festum S. Liborii; V. pro archidioecesi Gnesnensi et Posnaniensi festum S. Adalberti; VI. pro dioecesi Culmensi festum item Sancti Adalberti; VII. pro dioecesi Wratislaviensi Patrocinium S. Iosephi; VIII. pro dioecesi denique Varmiensi festum S. Adalberti. — Verum cum in praesentia Serenissimus Imperator ac Rex Guilelmus II, admodum cupiat, ut dictus poenitentiae precumque dies « Bull und Bettag » vulgo appellatus, qui in variis regni partibus, variis diebus huc usque celebrabatur, uno eodemque pro toto regno die in posterum celebretur, nempe feria quarta hebdomadae anni ecclesiastici penultimae, neque graves officiant rationes, quin optatis huiusmodi obsecundemus, et in dioecesibus supradictis e feria quarta tertiae post Pascha hebdomadae, idem festum ad uberes ex agris obtinendos fructus, vel potius in gratiarum actionem pro fructibus iam iam perceptis, interposita Nostra auctoritate, in quartam hebdo-

madae anni ecclesiastici penultimae feriam transferamus, immo peropportuna Nobis eadem immutatio visa sit, hinc quaé infra scripta sunt decernenda in posterum existimavimus. Nimirum votis Serenissimi Imperatoris ac Regis Guilelmi II, qui in catholicos suae ditioni obnoxios et propensam gerit voluntatem et eorum utilitati sapienti consilio prospicit, quantum in Domino possumus annuentes, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, ac de certa scientia et matura deliberatione Nostris, omnibus rei momentis attento ac sollicito studio perpensis, cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Supremae Inquisitioni praepositis, feriam quartam hebdomadae tertiae post Pascha huc usque in Archidioecesi tua Coloniensi, et in aliis supra memoratis dioecesibus Trevirensi, Monasteriensi, Paderbonensi, Gnesnensi et Posnaniensi, Culmensi, Wratislaviensi, ac Varmiensi, festive in foro celebratam, negotiis saecularibus peragendis reddimus, ac festa pro singulis iis dioecesibus huc usque in eamdem diem translata, ut suis quaeque locis restituantur, edicimus. Praeterea de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium item vi, feriam quartam penultimae anni ecclesiastici hebdomadae, in diem festum, pro supradictis dioecesibus evehimus, adiecta Christifidelibus tum sacro adstandi, tum a servilibus operibus abstinendi obligatione. Tandem praecipimus, ut hac feria quarta penultimae anni ecclesiastici hebdomadae sollemnes eaedem preces instituantur, quae huc usque quarta feria hebdomadae post Pascha tertiae

fieri solebant, nec non ut pro singulis praefatis dioecesibus festum Praesentationis Beatae Mariae Virginis Immaculatae e loco suo, nempe a vicesima prima Novembris mensis die, in ipsam feriam quartam penultimae ecclesiastici anni hebdomadae deinceps similiter Apostolica Nostra auctoritate, transferatur. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Tuae autem, Venerabilis Frater, curae committimus, ut aliis praedictis sacrorum Antistitibus, ceterisque ad quos pertinet, hanc Nostram voluntatem significes; tibique et gregi tibi concredito Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die IX Decembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IOSEPHO BENEDICTO TIT. S. PVDENTIANAE
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI DVSMET
ARCHIEPISCOPO CATANIENSI
CATANAM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae Nobis cura sit ut meritissimus Ordo S. Benedicti maiora in dies habeat decoris incrementa et uberiores efferre valeat fructus ad gloriam Dei et animarum salutem, satis tibi compertum est atque exploratum. Ob eam rem consilium vehementer probavimus novi extruendi in Urbe aedificii, in quo Collegium S. Anselmi suas habeat sedes, ac splendorem viresque ampliores nactum, benefacta sua ad totum Ordinem valeat proferre. Quum autem area parata sit ubi haec aedes erit excitanda, cuius primus lapis deponendus erit quum primum commode id fieri possit, optimum factu videtur, si benedictionis eius celebretur solemnitas coram Praesidibus cunctis singula-

rum Congregationum Ordinis eorumve delegatis, imo coram omnibus, quoad fieri poterit, qui Abbatis nomine et honore decorantur. Porro haec congressio optimam poterit opportunitatem praebere ut collatis consiliis agatur, ac deliberatio fiat de iis rebus, quae ad communes pertinent totius Ordinis rationes et utilitates. Pergratum itaque Nobis facies, si pro ea qua praestas dignitate Praesidis istius Collegii, eos quos diximus praesules Congregationum et Abbates monueris atque invitaveris, ut Romae praesto esse velint quum praedicta fiet solemnitas, quo magis auspicata et illustria sint ex omnium praesentia eius rei exordia, cuius effectio pertinet ad ordinis universi emolumentum et decus. Certa interea fiducia freti, te studiose ac libenter, prout in omnibus assoles, Nobis morem gesturum, Apostolicam benedictionem tibi, Clero et fidelibus tuae vigilantiae concreditis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Decembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS BEATORVM CAELITVM HONORES
VENERABILI DEI FAMVLO
FRANCISCO XAVERIO MARIAE BIANCHI DECERNVNTVR

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Qui Ecclesiae suae nunquam se defuturum spopondit, Deus, sapienti consilio prospicit, ut ipsa nunquam amplissima ea sanctimoniae praerogativa careat, quae et divinam originem testatur, et populos ad virtutis semitam decurrendam exemplo suo rapit. Quare interdum supernis ornatos virtutibus excitat viros, qui caducis rebus omnibus atque oblectamentis posthabitis, quae sursum sunt, donec vivant, unice quaerant et sapiant, ac nihil impensius optent, quam summum perfectionis gradum attingere, vitamque cum Christo in Deo absconditam agere. Hos autem praestantissimos heroes, emenso mortalis aevi spatio, probatosque divino miraculorum testimonio, inter Caelites enumerare gestit Ecclesia, ac tum ad sanctitatis decus, tum ad imitationis inter Christifideles excitamentum, ad altarium honores identidem extollere. Cum vero hos inter,

quibus, sicut de se Paulus Apostolus fatebatur, « vivere Christus est », iure sit adscribendus Venerabilis Dei Famulus Franciscus Xaverius Maria Bianchi, Sacerdos professus Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, qui recentioribus hisce temporibus, religiosae illi Congregationi, tot tantisque causis bene de re catholica meritae, novum addidit singularis sanctimoniae decus atque ornamentum: hinc Nos, qui nullis quidem meritis supremam in Ecclesia universa commissam divinitus potestatem exèrcemus, eumdem Venerabilem Dei Servum inter Superos adsciscendum existimavimus. — Hic e piis honestisque parentibus, quarto nonas Decembres anno MDCCXLIII Arpini ortus, Indiarum Apostoli Francisci Xaverii nomen in baptismate sortitus est. Perfectionis curriculum, quod deinde ut gigas emensus est in exultatione, vel ab ineunte aetate alacriter ingressus, mira innocentiae, docilitatis, candoris, pietatisque exempla coaevis praebuit. Parentibus dicto audiens, poenitentiae ac solitudinis studio nugis puerilibus abstinebat; saepe ad secreta domus conclavia secedens, diu orationi ac spiritualibus commentationibus vacabat. Sodalium Barnabitarum institutioni concreditus, tantos brevi progressus in studiis effecit, ut suus Antistes illum adhuc adolescentulum clericali militiae initiare non dubitarit. Mox in ipso iuventutis flore adversa parentum vota atque impedimenta forti pectore exsuperavit, et in eorumdem Barnabitarum Sodalium Congregatione, quod plures annos optaverat, religiosae vitae tyrocinium inivit. Dum ipsius tyrocinii cursum con-

ficeret, ad pietatem non minus, quam ad litteras scientiasque incubuit: viginti ferme annos natus sollemnibus votis sese Barnabitarum Congregationi mancipavit; dein iam summa doctrinae ac religionis laude insignis, Neapoli quarto calendas Februarias anno MDCCLXVII primam Deo salutarem hostiam libavit. Continuo pervicax, quo enitebat, ingenium in religiosae familiae decus, animarumque salutem ponens, rhetoricam ac philosophiam tradidit, eoque in munere explendo, ob eruditionem non minus, quam candidos suavesque mores, doctorum plausum aeque ac discipulorum amorem sibi conciliavit. Quare in tantam sapientiae famam pervenit, ut et eruditi viri ad eum in circulum convenire, eiusque frui amicitia in deliciis habuerint, et multa sui Ordinis praeclara officia gradatim obire promeruerit. Verum dum his vacaret curis, superno Dei munere tactus, ad cor sibi loquentis et ut superius adscenderet amica voce invitantis, omnia statim quae terram saperent despiciens, quae sibi olim fuerant lucra, haec propter Christum detrimenta arbitratus est. Itaque faciles divini Spiritus afflatibus praebens aures, repente a libris, ab amicis, a studiorum amoenitate atque a doctorum virorum coetibus cor mentemque subduxit, seque voluntariae in propria cella solitudini addicens, vitam cum Christo in Deo absconditam ducere coepit. Sed brevi in apertum campum, urgente Christi caritate, prosiliens, Venerabilis Dei Famulus Franciscus Xaverius Maria Bianchi quemadmodum absolutum religiosae perfectionis atque observantiae exemplar semper exstitit, ita

Neapolitanae urbis Apostolus potuit iure appellari, signaque Apostolatus sui tum in omni patientia, tum in singularibus virtutibus, tum in supra naturam donis fuere. Nulla enim pene fuit christianae pietatis institutio Neapoli in urbe, institutionum huiusmodi ceteroquin ditissima, quae eius opere aucta ac roborata non fuerit. Ministerio verbi, piacularis confessionis administratione, privatis adhortationibus, exemplo innocentis vitae, uno sui ipsius adspectu innumeras animas adeptus est Christo lucrifacere, alter Philippus Nerius ab omnibus, nec immerito, vocatus; turmatim ad ipsum, sive ob spirituales, sive ob temporales necessitates concurrebant Christifideles; nemo non recreatus abibat, minime deficientibus prodigiis cum humana subsidia deficerent. Sanctimoniae fama insignes viri, tunc temporis in Neapolitana urbe florebant, et Venerabilis Dei Famulus Franciscus Xaverius Maria optimam est apud eos existimationem promeritus. Memorabimus modo S. Alphonsum Mariam de Ligorio, qui Servum Dei in consilio religiosi status suscipiendi confirmavit, et Venerabilem Ioannem Baptistam Iossa, qui eum inter caelestis Ierusalem cives cooptatum suspexit. Sed arctissimis spiritualis amicitiae vinculis sese Venerabilis Dei Servus cum inclita neapolitana virgine S. Francisca a Vulneribus Domini Nostri Iesu Christi sociavit; haec ab ipso in spiritualibus ad obitum usque regi voluit; haec illi stimulos ad Apostolicos labores alacri et forti pectore exantlandos addidit; haec demum proxime moritura, diutinos illi dolores, saevumque in cruribus morbum vaticinata est.

Et sane Venerabilis Dei Famulus Franciscus Xaverius Maria eo magis admiratione dignus evasit, quod Apostolatum huiusmodi exercuit lecto detentus, inter ineffabiles diuturnosque purulentarum ulcerum cruciatus, quibus ipsius crura ac pedes horrendum in modum turgescebant. Praevisam hanc aegritudinum acerbitatem non patiens modo, sed laetabundus sustinuit, desiderio flagrans maiora tolerandi, et voluntarias superaddens carnis afflictationes. Vitam sic ab infantia ad obitum immaculatam insignibus caritatis et poenitentiae fructibus honestavit. Neque tantae sanctitati, per supernorum charismatum participationem mirabiliter significatae, divinum defuit testimonium. Ad instar enim Philippi Nerii, vi divini amoris abreptus, vehementissimos cordis subsultus experiebatur; ac tanta in Deum, orans, caritate ferebatur, ut suaves per genas lacrimae manarent, singultus imi anhelum pectus quaterent, et internus ardor ex ipso ore oculisque micaret. Putrescentia ipsius ulcera suaviter odorantia, qui coram aderant, persentiebant; scrutatione cordium et prophetiae dono praesertim enituit, atque illud inter cetera admiratione dignum recolimus, quod cuiusque motus omnino impos, nullius ope suffultus par fieret extemplo ad Missae celebrationem quotidie diligentia atque alacritate summa persolvendam. Quin et irata elementa Venerabilis Dei Famulus nutu compescuit. Cum mense Augusto anni MDCCCV in suburbano quodam Neapolitano recessu ad montis Vesevi pedes rusticaretur Franciscus Xaverius Maria, et mitibus auris obstinati morbi cruciatibus levamen quaereret,

mons repente exarsit, et ignea flumina uberes agros depopulata, in ipsa oppida extremam perniciem et incendia minabantur. Cum omnes pavidi fugae se resque suas concrederent, interritus Venerabilis Dei Servus stare loco iubet adstantes. Ipse sociorum brachiis suffultus, infirmis enim cruribus insistere nequibat, fessum aegre trahens latus, ignes versus et liquefacta saxa procedit. Mirabile dictu! ignitus torrens e vestigio quasi gelu concretus substitit; et praerupta saxa tantum adhuc prodigium testantur. Sed tandem verus hic Pauli imitator, verusque Apostolus Christi laboribus ac morbo confectus, dissolvi cupiens et cum Domino esse, postquam de imminenti morte caelitus nuntium a S. Francisca de Vulneribus accepit, Sacramentis Ecclesiae refectus, pio placidoque exitu obdormivit in amplexu Dei anno aetatis suae altero et septuagesimo, pridie calendas Februarias anno MDCCCXV. Cum morte tamen haud periit Venerabilis Servi Dei memoria; corpus quidem conditum sepulcro est, virtutum vero notitiam consequentes etiam aetates exceperunt. Itaque sanctimoniae fama quam et vivus praeclaram habuerat, maior post eius funera facta est, succrevitque in dies innumeris probata portentis, quae sancti viri patrocinium gratum Deo acceptumque ostendebant. Quare paucis a morte elapsis annis, de eiusdem Venerabilis Dei Famuli Francisci Xaverii Mariae Bianchi Beatificatione et Canonizatione in Sacrorum Rituum Congregatione causa agitari coepta est. Praemissis iis omnibus actis, quae Apostolicae constitutiones in causis huiusmodi iubent servari,

rec. mem. Decessor Noster Pius PP. IX per Decretum diei XXIII mensis februarii anni MDCCCLVII virtutes, quibus vivens idem Venerabilis Dei Servus inclaruerat, heroicum attigisse gradum testatus est. Deinde in eadem Sacrorum Rituum Congregatione institutum iudicium est de miraculis, quae deprecante Venerabili Dei Servo Francisco Xaverio Maria a Deo patrata ferebantur, rebusque omnibus severissime ponderatis, duo miracula vera atque explorata sunt habita, Nosque per decretum VIII calendas Apriles vertentis anni datum, eorumdem veritatem miraculorum declaravimus. Illud supererat nempe ut Venerabiles Fratres Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, Congregationi sacris ritibus tuendis praepositi, rogarentur, num stante, ut superius dictum est, heroicarum virtutum et miraculorum approbatione, tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores eidem Dei famulo decernendos, iique in generali conventu sexto calendas Maias anni vertentis coram Nobis habito, tuto id fieri posse unanimi consensione responderunt. Attamen in tanti momenti re Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus tandem die Beatissimae Mariae Nascenti sacra, huius pariter anni, sollemni decreto pronunciavimus procedi tuto posse ad sollemnem Francisci Xaverii Mariae Bianchi Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos precibus etiam permoti universae Clericorum Regularium Barnabitarum Congregationis, auctoritate Nostra Apostolica, harum Litte-

rarum vi, facultatem facimus, ut Venerabilis Dei Famulus Franciscus Xaverius Maria Bianchi, Sacerdos professus e Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque lypsana sive reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illo recitetur Officium et Missa de communi Confessorum non Pontificum, cum orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus intra fines dumtaxat dioecesis Neapolitanae, itemque omnibus in templis religiosarum domorum Congregationis Barnabitarum ab omnibus Christifidelibus qui horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus, ad Ecclesias, in quibus festum agitur, confluentibus. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Servi Francisci Xaverii Mariae Bianchi supradictis in templis celebrentur cum officio et Missis duplicis maioris ritus; quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium definienda intra primum annum postquam eadem sollemnia in Aula superiori porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo

manu Secretarii Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XIX Decembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

L. ✠ S.

S. CARD. VANNVTELLI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
PHILIPPO ARCHIEPISCOPO COLONIENSI
COLONIAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Praecipuis solatii causis, quibus Nos recreare dignatur Deus, appetente Nobis exitu anni ab inito episcopatu quinquagesimi, libenter accensemus testimonium fidei, amoris et observantiae, quod Nobis praebuere litterae suavissimae, quas die IX calendas Decembres ad Nos dedisti una cum aliis Sacrorum Antistitibus, qui Regni Borussici dioecesibus praesunt. Sane in iis laudibus, quas magis amor vester quam praegressum ullum meritum Nostrum scribendas vobis suasit, dilucide expressam agnovimus vestram erga Nos voluntatem vestramque existimationem de iis quae imprimis addecent Ecclesiarum pastores, scilicet haec ex datis litteris elucebat sententia vestra: plurimam illos mereri laudem si, dum oppugnatur religio, fortiter pro veritate decertent, et sedulo ovibus sibi cre-

ditis omnem benevolentiam praestent, omnemque necessariam opem praebere studeant pro viribus. Haec recordationi iuncta eorum, quae a vobis in maxima temporum difficultate gesta meminimus, praeclare Nobis ostendunt, animos a vobis geri dignos amplitudine ministerii vestri, certamque spem faciunt, fideles traditos curationi vestrae, per iustitiae et salutis tramites, ductu vestro strenue perrecturos, et in cultu christianarum virtutum profecturos alacriter. — Quo plenius et felicius haec bona a vobis praestari queant, enixe a Deo petimus, ut gratiae suae adiutricis dona large vobis suppeditet, et quaecumque fausta et salutaria pie Nobis ominati estis, vicissim vobis adprecamur ex animo. Eorum porro auspicem, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, aliisque dioecesium Borussiae Praesulibus, qui communes tecum ad Nos dedere litteras, itemque clero et populo vigilantiae vestrae concreditis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Decembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

RAPHAELI FERRARIS

MEDIOLANVM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sane placuit Acta Ecclesiae mediolanensis, quarum est a te editio suscepta, inscripta esse nomine Nostro, Nobisque dedicata. Vel enim ex eo volumine acta Sancti Caroli continente, quod quasi specimen totius operis ad Nos perferendum curavisti, et nitorem artis laudare licuit et facile nosse quantum nova operis editio possit commodo esse multis et communi Ecclesiae utilitati benevertere. Haec scilicet Acta, quamquam ad alia tempora et certa loca proxime spectant, sunt tamen sapientiae tantae et prudentiae plena, e quibus nostra etiam aetate large possint episcopi omnisque clerus haurire. — Qua de re tibi et Achilli Ratti sacerdoti, cuius labores egregio hoc in opere accurando sunt Nobis cogniti, libenter gratulamur. Quod si eadem Acta pluries sunt posteritati mandata et

tradita, vobis tamen erit laudi memoriae sanctissimi Antistitis, Ecclesiaeque vestrae gloriae, perfectiore quodam modo consuluisse, neque profecto deerunt qui de fructibus sollertiae vestrae gratiam habeant et re testentur. — Interea pignus benevolentiae Nostrae et divinorum auspicem munerum, tibi, dilecte fili, eidemque operis consorti, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVII Decembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
ARCHIDIACONO VICE SACRA ANTISTITI
ET CANONICIS ECCLESIAE VITERBIENSIS
VITERBIVM

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

De vestra in Nos, quae filios decet, observantia et pietate, proximis litteris confirmata, paterno equidem animo gavisi sumus et singulari quodam nomine delectamur. Sunt enim Nobis cum praeclara civitate vestra memoriae vincula iucundissimae; in qua nimirum, amico caelo, ad religionem bonasque litteras sub optima disciplina adolevimus. Ex quo plane fit ut, qua in vos vestraque omnia propensiore sumus voluntate, eam valde optemus aliquo interdum et argumento significare posse et beneficio probare. Cuius rei occasionem modo oblatam perlibenter amplexi, consilium apud Nos maturavimus ut viduae ecclesiae vestrae prospiceremus, iamque virum designavimus pastorali exemplo et prudentia egregium. Ita Nobis

gratum semper fuerit rebus vestris optima quaque ratione studere: neque dubitamus quin crebrae a vobis laetandi causae sint adfuturae, qui sancte professi estis, velle vos summa ope conniti, ut cohortationibus iussisque Nostris omnis ista Dioecesis religiosius in dies obsequatur et pareat. Hoc vestro proposito commendata, multo quidem gratiora accidunt ea vota quae Deo Puero, ob annum episcopatus Nostri quinquagesimum, nuncupastis: de quibus Nos uberem ab ipso vicem imploramus, Apostolica benedictione in vos omnemque clerum et populum peramanter effusa.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Decembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS CONSTITVTIONES SOCIETATIS IESV
DE DOCTRINA S. THOMAE AQVINATIS PROFITENDA
CONFIRMANTVR

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Gravissime Nos, pro apostolico officio, infesta Ecclesiae tempora atque humanae societatis in maximis rebus quasi naufragium, sub ipsa pontificatus exordia, reputantes, praecipuam tanti exitii causam in eo agnovimus quod certis iis principiis institutisque, quibus ad christianam fidem munitur via, neglectis passim et prope contemptis, libido invaluisset novarum rerum, quae, per speciem progredientis doctrinae, sapientiae a Deo traditae obsisteret et repugnaret. Neque ita laboriosum fuit opportuna indicare remedia, fontes nimirum germanae doctrinae male desertos repeti oportere. Id Nos primum litteris datis encyclicis *Aeterni Patris* praestitimus; pluribus deinde auctoritatis Nostrae actis, atque privatis etiam cum episcopis et moderatoribus religiosorum Ordinum colloquiis idem saepius confirmavimus, deliberatum Nobis esse et constitutum

doctrinam Sancti Thomae Aquinatis in scholas omnes revocare; eam nempe doctrinam quam amplae romanorum Pontificum sacrorumque Conciliorum laudes commendant, et qua, suffragante saeculorum voce, nihil solidius possit aut fructuosius optari. — Rem Nos moliri et negotii et laboris plenam omnino intelleximus, quum tanti referret quanti graviorum disciplinarum paene omnium instaurare rationem: eam tamen maturare et urgere contendimus, opera etiam Ordinum religiosorum valde confisi, quorum explorata virtus nihil profecto neque ingenio neque viribus parceret ad consilia Nostra iuvanda et perficienda. Quo quidem in numero deesse non poterat inclita Societas Iesu, quippe quae et late pateat in Ecclesia et studiis deditam iuventutem suopte praescripto habeat excolendam: alebantque in Nobis expectationem non modo perpetua testimonia summae eius pietatis in hanc Apostolicam Sedem, sed propriae ipsius sacratae leges, quibus alumni sapientiam Aquinatis persequi et profiteri tenentur. — Ea igitur mente ut Societas Iesu in proposito tam praeclaro fidelissime constet, atque locum cum primis teneat in ea, cui tantopere studemus, doctrina vera tuenda et propaganda, visum est easdem Societatis leges, prout in constitutionibus Ignatii Patris, in decretis congregationum generalium, in mandatis praepositorum habentur, in summam quamdam conferre, easque firmas atque in perpetuum ratas suprema auctoritate Nostra declarare. Quo etiam fiet ut, si quae forte speciosae causae vel inductae consuetudinis aliqua ex parte

contrariae, vel minus rectae interpretationis, resideant, eis penitus sublatis, regula et norma statuatur a Nobis certa, stabilis, definita.

Quod primum est, idque omnibus probe notum, sic insignis ille Societatis auctor crebris constitutionum locis decrevit, sequendam in unaquaque disciplina doctrinam solidam et securam, atque etiam *securiorem et magis approbatam* [1]: quod pluries redit ipsum per decreta et iussa tum congregationum tum praepositorum rite affirmatum. Hoc autem amplius ille praecepit, ut doctrina, quam sequeretur Societas, una eademque esset apud omnes atque in omni munerum perfunctione: *Idem sapiamus, idem, quoad eius fieri possit, dicamus omnes, iuxta Apostolum. Doctrinae igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus vel lectionibus publicis, nec scriptis libris* [2]: item: *Patres deputati ex variis nationibus pro libro de ratione studiorum recognoscendo, quum de delectu opinionum primo loco tractandum censuissent, ac tamquam fundamentum proposuissent, doctrinam Societatis esse debere uniformem, securam et solidam, iuxta constitutiones*..... [3]. Quae quidem uniformis doctrinae praeceptio non eo circumscribi putanda est, ut sententias tantummodo quae sunt in scholis communes respiciat, verum etiam ad opiniones latius pertinere de quibus

[1] *Const.* p. IV, c. V. § 4.
[2] *Ib.* p. III, c. I, § 18.
[3] *Congr.* V, decr. 56.

catholicos inter doctores minus conveniat: *In opinionibus etiam, in quibus catholici doctores variant inter se vel contrarii sunt, ut conformitas in Societate sit, curandum est* [1]. Quando enim e lege *unius scriptoris doctrina in Societate eligenda est* [2], ideo per se apparet, opiniones item disputatas et disputabiles eo ipso praescripto contineri, quum in sententiis communibus, quocumque demum praeeunte auctore, nihil de ipsa doctrina accidat immutatum. — Haec vero legifer Pater, provida mente et sancta, ad altiora quaedam direxit, ut coniunctioni concordiaeque et universae quasi corporis Societatis et varia inter eius membra prospiceret: quae virtutes quanto magis necessariae sunt ad religiosi fervorem spiritus nutriendum ubertatemque salutarium fructuum gignendam, tanto facilius in varietate opinionum languent atque intereunt, quum dissimilitudo sentiendi disiunctionem saepius faciat animorum: *Iuvat ad unionem membrorum huius Societatis inter se et cum suo capite..... eadem doctrina* [3]. Ad eum igitur assequendum concordiae et caritatis modum quem Societati praestituerat, optime vidit Ignatius Pater haudquaquam satis esse vulgatam probatamque regulam, opiniones dispares tolerandas, secundum illud, *in dubiis libertas*, sed necessarium opiniones tales minime haberi in Societate, easque praecise ab ipsa prohibuit. — Ne cui vero hoc de uniformi doctrina praeceptum saperet

[1] *Const.* p. III, c. I, decl. O.

[2] *Const.* p. VIII, c. I, litt. K. - *Congr.* V, decr. 56.

[3] *Const.* p. X, § 9.

durius, idem caute consuluit, ut sodalis quisque, priusquam sese votorum religione obstringeret, rogaretur, *Num paratus sit ad iudicium suum submittendum, sentiendumque ut fuerit constitutum in Societate* [1]: quo modo iam tum optio datur eius rei eligendae quae, ex lege deinde imposita, vix tolerabilis possit videri.

Itaque longe alienum fuerit a natura scriptisque legibus Societatis, ut quis in ea talem opinandi facultatem exposcat quali extra eam plerique potiantur. Quamvis enim de opinionibus ageretur valde probabilibus atque doctos nactis patronos, quae tamen doctrinae refragarentur praescriptae, eas qui sequerentur, reprehensionem quidem vitarent novitatis, temeritatis, erroris, at vero ab una illa eademque doctrinae forma, tantopere desiderata et commendata, prorsus discederent. Idque deterius fieret, si eiusmodi libera opinionis copia ad ea doctrinae capita advocaretur quae Societas in constitutionibus atque in elenchis per summos praepositos, mandatu Congregationum generalium, confectis, iam aperte iussit ab universis admittenda esse vel improbanda; quae libertas in licentiam et culpam desciscceret. — Hoc legifer Pater tamquam fundamento in Societate posito, quo praeterea iudicio excellebat, certam ipse unam delegit formam doctrinae, quam, utpote maxime omnium integram et eminentem, consensione sapientum et diuturno usu comprobatam, prae ceteris ab Ecclesia laudatam, bene po-

[1] *Exam.* c. III, § 11.

tuit filiis suis praescribere, eorum mentibus non modo vim afferens nullam, sed immo pabulum exhibens incorruptum et salutare; eaque fuit doctrina S. Thomae Aquinatis: *In theologia legetur. . . . doctrina scholastica Divi Thomae* [1]. Fatendum sane est sanctum Fundatorem, salvo quidem de uniformi doctrina praecepto, eiusque rei causa doctrina Angelici anteposita, attamen, ut patet ex multis locis constitutionum, suavi quadam prudentia reliquisse posteris facultatem designandae doctrinae, quam et tempus et ipsa rerum tractatio Societati aptiorem esse monerent: aeque vero fatendum, eadem posteros facultate iamdiu esse usos, atque laudatissime usos, quo plane modo decebat tanti patris filios, eius animi et virtutis heredes. Etenim in congregatione v. generali commemorantes patres monita constitutionum, *unius scriptoris doctrinam eligendam esse*, unanimi consensu statuerunt, *doctrinam S. Thomae in theologia scholastica tamquam solidiorem, securiorem, magis approbatam et consentaneam constitutionibus sequendam esse* [2]: cui decreto quo plus firmitatis accederet, haec addita voluerunt: *Nostri omnino S. Thomam ut proprium doctorem habeant*, eoque amplius ut *nullus ad docendum theologiam assumatur, qui non sit vere S. Thomae doctrinae studiosus; qui vero ab eo sunt alieni, omnino removeantur* [3]. Quae omnia, tam considerate et prudenter consulta, potius

[1] *Const.* p. IV, c. XIV, § 1.
[2] *Congr.* V, decr. 41.
[3] *Ib.* decr. 56.

quam diuturnitate exoleverint aut defluxerint, frequenter sunt singulatimque confirmata, in congregatione praesertim XXIII, peculiari quodam decreto edito; quod quidem decretum, quum Nobis primum exhibitum est, XIV cal. dec. an. MDCCCLXXXIII, commendatione Nostra dignum habuimus, eique haec volenti animo adscripsimus: *Decretum de retinenda S. Thomae Aquinatis in scholis Societatis Iesu doctrina, quod in conventu magno Ordinis nuper habito renovatum est, valde Nobis probatur, et maxime hortamur ut diligentissime in posterum ab omnibus servetur.*

Qui porro Societatis praescriptiones de studiis perpenderit, ei perspicuum erit, doctrinam S. Thomae etiam in philosophicis, non in theologicis tantum, esse omnino sequendam. Licet enim ex regula sequendus sit in philosophia Aristoteles, philosophia S. Thomae nihil demum alia est atque aristotelea: hanc nempe Angelicus scientissime omnium interpretatus est, hanc erroribus, scriptori ethnico facile excidentibus, emendatam, christianam fecit, hac ipsemet usus est in exponenda et vindicanda catholica veritate. Hoc ipsum numeratur inter summa beneficia, quae magno Aquinati debet Ecclesia, quod christianam theologiam cum peripatetica philosophia iam tum dominante tam belle sociaverit, ut Aristotelem Christo militantem iam non adversarium habeamus [1]. — Neque vero aliter ab eo fieri poterat, qui doctorum theologiae scholasticae extitit princeps: nam, quod omnes norunt, haec disciplina eius-

[1] Card. Sfortia Pallavicini, *Vindicationes Soc. Iesu*, c. 24.

modi est, quae fontes adeat quidem proprios, doctrinas nimirum divinitus revelatas, ex eisque in rem suam omni religione et studio derivet, sed operam quoque multam adhibeat sibi philosophiae tamquam optimae adiutricis, ad fidem ipsam sive tuendam sive illustrandam. Quotquot igitur Aristotelem cogitant debentque tuta via sectari, philosophiam Aquinatis amplectantur oportet: idque eo magis quod in Societate philosophiam praeceptores ita interpretari iubentur, *ut verae theologiae scholasticae, quam commendant constitutiones, ancillari et subservire faciant* [1], atque idcirco aristoteleae institutionis ratio praeoptata est, quia eidem proposito melius visa sit respondere: *Quum Societas philosophiam Aristotelis, tamquam theologiae magis utilem amplexa sit, illi inhaerendum omnino est.* [2] Philosophia vero quam Societatis alumni profiteantur, nisi sit ad mentem et rationem Angelici, nequaquam subservire poterit theologiae eius scholasticae, quam omnes reapse *tenentur sequi.* Quod illi in primis sibi dictum habeant qui, Aristotelis interpretes vel catholicos in varias dissimilesque opiniones quum videant discedentes, integrum sibi fortasse putent quam velint opinionem assumere, nihil fere laborantes quid senserit Thomas: hoc enim ipso, ut palam est, etiam in theologia ab illo recederent, ob eamdemque causam ab ipsa deficerent *doctrina uniformi* quam legifer Pater constantissime iussit habendam. Quapropter consilio bene laudabili actum

[1] *Congr.* III, can. 8.

[2] *Congr.* XVI, decr. 36.

est a Congregatione XXIII, quae non ita multo post editas a Nobis litteras encyclicas *Aeterni Patris* convenit, hoc etiam scripto capite: *Societas Iesu plenissimum filialis obedientiae atque assensus obsequium* (eis encyclicis litteris) *sollemni ac publico testimonio manifestandum sibi esse iudicavit*[1]: eo autem totae spectabant litterae Nostrae ut S. Thomae philosophia in scholis omnibus restituta vigeret.

Neque tamen Nobis sententia est derogari quidquam de praeclaris scriptorum meritis quos Societas per aetates eduxit: isthaec immo domestica gloria retinenda conservandaque ita est, ut omnes, sodales maxime Societatis, *magni faciant et diligenter consulant probatos illos et eximios Societatis doctores quorum laus in Ecclesia est*[2]. Nam virtute ut erant atque ingenio eximii, data studiosissime opera scriptis Angelici, certis locis sententiam eius copiose luculenterque exposuerunt, doctrinam optima eruditionis supellectile ornaverunt, multa inde acute utiliterque ad errores refellendos novos concluserunt, iis praeterea adiectis quaecumque ab Ecclesia sunt deinceps in eodem genere vel amplius declarata vel pressius decreta; quorum sollertiae fructus nemo quidem sine iactura neglexerit. At maxime vero cavendum ne forte, ex opinione qua illi floreant eximii auctores ex ipsoque studio quod impendatur eorum scriptis, potius quam adiumenta, ut propositum recte est, ad veram colendam S. Tho-

[1] *Congr.* XXIII, decr. 15.
[2] *Ib.* decr. 18.

mae doctrinam suppeditentur, aliquid oriatur quod uniformi doctrinae officiat: haec enim nullo pacto speranda erit, nisi Societatis alumni auctori adhaereant uni, ei scilicet iam probato, de quo uno praeceptum, *sequantur S. Thomam, eumque uti proprium doctorem habeant.* Ex quo illud consequitur ut, si qua in re ii ipsi auctores quos laudavimus a documentis magistri communis dissideant, nihil tunc ambigendum quae recta sit via; eamque non difficile erit tenere, propterea quod, in documentis quae certo sunt S. Thomae, non ita fiet facile ut scriptores Societatis ab illo omnes dissentiant. Quare satis fuerit, prout postulent quaestiones, si ex illis auctoribus deligant qui cum eodem consentiant, unâ opera duplicem capientes utilitatem, sequi se posse Doctorem Angelicum et optimos Societatis auctores.

Nemo autem inducat in animum licere sibi illis promiscue opinionibus uti, quas forte deprehenderit in libris scriptorum Societatis eisque de moderatorum permissu editis. Praeter enim quam quod ex istis non pauci editi sunt antequam certas de studiis leges Societas constituisset, eiusmodi libertati numquam summi praepositi non restiterunt, hoc praeterea frequenter aperteque, etiam sub haec tempora, testati, in quibusdam librorum censoribus et diligentiae plus et severitatis fuisse optandum [1]. In quo non equidem

[1] Ex litteris P. C. Aquaviva, an. 1613, *de observanda ratione studiorum deque doctrina S. Thomae*: ex Ordinatione P. F. Piccolomini *pro studiis superioribus,* an. 1651: ex Ordinat. P. P. Beckx, an. 1858.

sumus nescii, quibusdam ex locis constitutionum aliquid veniae datum videri, atque etiam plane hoc esse affirmatum, doctrinae S. Thomae non ita Societatem habendam esse adstrictam ut *nulla prorsus in re ab eo recedere liceat* [1]. Verum qui eosdem inter se constitutionum locos conferat diligenter, facile intelliget, tantum abesse ut ea ipsa exceptione quidquam de legibus positis derogetur, ut eaedem potius firmius consistant. Quaedam enimvero libera datur facultas, primo, *si quando vel ambigua fuerit S. Thomae sententia, vel in iis quaestionibus, quas S. Thomas non attingit* [2]: in quibus ergo quaestionibus ab illo tractatis sententia eius dilucida emergat, ne in istis quidem liberum est ab ipso deflectere. — Hic tamen illas revocare iuverit plenas iudicii cautiones, a P. C. Aquaviva datas: *Neque vero satis est binis vel ternis locis niti sparsim collectis, et per consequentias aut inconvenientia, vel cum violentia adductis; quasi credendum sit eam esse opinionem Sancti Viri, quia illam quomodocumque innuit aliud agens in illis locis. Verum necesse est videre, quid sentiat, ubi ex professo id agit, et attente expendere, quidquam cohaerenter vel dissonanter afferat cum reliquo corpore doctrinae* [3]: scilicet ne quis vanis artibus persuadeat sibi sententiam Angelici ambiguitati patere. De quaestionibus autem quas ille fortasse non attigit, principia et capita doctrinae eius penitus cognita

[1] *Congr.* v, decr. 56.

[2] *Ib.* decr. 41.

[3] *De soliditate et uniformitate doctrinae*, 24 maii 1611.

sint oportet, ne quae reddantur responsa ullo modo pugnent cum illis: apteque hic faciunt quae censuit ea ipsa Congregatio XXIII, *serio monendos esse nostros tum theologiae tum philosophiae professores et scholasticos, ne proprio iudicio nimium fidentes novas a se conceptas interpretationes pro vera germanaque S. Thomae doctrina temere aut inconsulte tradant* [1]. — Similis videtur libera dari facultas, secundo, *in quaestionibus mere philosophicis, aut etiam in iis quae ad Scripturas et ad Canones pertinent* [2]. Verum, ut ceteras mittamus, palam est quaestiones philosophicas, si qua ratione ad theologiam attineant, ab ea dimotas esse facultate; neque adeo multas apud S. Thomam reperire licebit, quas non ille ad theologiam retulerit. In ipsis porro quaestionibus *mere philosophicis*, duo opportune incidunt admonenda: alterum, ut *in rebus alicuius momenti ab Aristotele* [3] (eâdemque de causa a S. Thoma) *non recedant;* ex quo libera cuiquam non erit facultas nisi in rebus parvi aut nullius momenti: alterum, ut sibi interdictum existiment recedere a S. Thoma *in praecipuis, et quae tamquam fundamentum sunt aliorum plurium* [4]. — Illud postremum in quo ab eo ipso magistro non temere sit dissentire, quum videlicet aliqua doctrinae forma, sententiae eius contraria, *in catholicis academiis* fere sit *recepta* [5], neque est com-

[1] Decr. 18.

[2] *Congr.* V, decr. 56.

[3] *Ib.* decr. 41.

[4] Ex cit. litt. P. C. Aquaviva, 1611.

[5] *Congr.* V, decr. 41.

memorandum quidem: namque academiae tales aetate nostra numerantur paucae, nec ulla prope in eis, si huic Apostolicae Sedi audiant dicto, obtinere potest doctrina quae adversetur Angelico, cuius immo vestigiis se omnes, ut debent, insistere profitentur. Satius fuerit auream sententiam excitare, qua ea ipsa iussa ad exitum roborantur: *Ceterum, ne forte ex iis, quae dicta sunt, sumat aliquis occasionem S. Thomae doctrinam facile deserendi, praescribendum videtur, ut nullus ad docendum theologiam assumatur, qui non sit vere S. Thomae doctrinae studiosus; qui vero ab eo sunt alieni, omnino removeantur. Nam qui ex animo S. Thomae fuerint addicti, certum erit, eos ab eo non recessuros, nisi gravate admodum et rarissime*[1]. Utraque haec probe expendenda conditio. Si enim non id liceat nisi *gravate admodum,* nemo sane facere ausit probabili tantum causa, sed gravissima adductus, ipsasque inter opiniones probabiles maluerit esse cum S. Thoma, ut eam assequatur doctrinam et *uniformem* et *securam* quae dicta est. Quod vero non id liceat nisi *rarissime,* hoc si recte ex sua sententia accipiatur, ita nimirum ut non ad omnes universe spectet, sed ad opiniones inter doctores catholicos agitatas restrictisque eis modis quos paulo supra notavimus, non accidet sane ut quispiam a doctrina S. Thomae recedat, nisi *in una vel altera conclusione, non alicuius momenti,* nequaquam vero *in praecipuis et quae tamquam fundamentum sunt multorum plurium.*

[1] *Congr.* v, decr. 56.

Quam exposuimus studiorum rationem de doctrinae delectu habendo, ea plane est quam Societas Iesu, ad praescripta legiferi Patris, alumnis suis omnibus praefinivit, eo consilio ut quam maxime idonei instituantur ad gloriam divinam augendam, utilitatesque procurandas Ecclesiae et proximorum, neque minus ut consulant suo ipsorum profectui. Quae quidem ratio tam aequa visa est Nobis atque opportuna, ut, etiamsi per Societatis leges praecepta non esset, eam Nosmetipsi praecepissemus; id quod pro auctoritate Nostra Apostolica in praesentia facimus atque edicimus. — Hoc tamen et laetitiam affert et auget spem, quod, quum alumnos Societatis Iesu in partem operae quam urgemus, instaurandae S. Thomae philosophiae, adsciverimus, nihil praeterea opus sit nisi ut eos ad instituta disciplinae suae custodienda adhortemur. Quod si praescriptis hisce Nostris iidem Societatis alumni religiose debent omnes diligenterque parere, religiosius debent ac diligentius, tum magistri, conformanda ad ea iuventute quam docent, tum studiorum praefecti, vigilando et curando ut integra ea ipsa valeant et observentur. Hoc autem ex conscientia officii singulariter praestabunt moderatores, quorum est sodales ad magisteria deligere: neque dubitent sese in ipsa auctoritate Nostra tueri, ut quos obtemperanti ingenio viderint et studiosos doctrinae S. Thomae, eos merito foveant provehantque, quos vero ad illam noverint minus propensos, eos a magisteriis, respectu hominum nullo, submoveant. — Ita in pontificia

Universitate Gregoriana, quae fere est in conspectu Nostro, in quam cogitationes et curas non leves contulimus, laetamur optatis iussisque Nostris satis admodum esse factum, eamque videmus propterea et magna frequentia alumnorum et doctrinae fama rectae solidaeque florentem. Fructus iidem tam praestabiles desiderandi quidem non erunt, ubicumque doctrina impertiatur ab iis quos eadem mens agat, eadem aluerint studia.

Ad ultimum, quo praescripta Nostra firmius permaneant et melius ampliusque succedant, decernimus, ut hae Apostolicae litterae in forma Brevis datae, in universa Societate Iesu sint et ab omnibus habeantur tamquam definita ac perpetua lex de doctrinarum delectu; ut ad cetera pontificia documenta, quibus complentur instituta eiusdem Societatis, adiungantur, atque tamquam certa consulantur norma, si quae incidant de recta studiorum ratione cognoscenda quaestiones; ut ipsarum exemplaria sodalibus, quotquot sunt eruntve moderatores, vel studiorum praefecti, vel magistri rei theologicae aut philosophicae, vel librorum censores, singulis singula tradantur; ut eaedem, statim ut allatae erunt, itemque quotannis in instauratione studiorum, in collegiis omnibus vel domiciliis Societatis ubi philosophiae vel theologiae studia coluntur, publice ad mensam legantur.

Iamvero quae litteris hisce Nostris declaravimus et statuimus, ea omnia rata firmaque in omne tempus permaneant: irritum autem et inane futurum edicimus, si

quid super his a quoquam contigerit attentari: contrariis nihil obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXX Decembris MDCCCXCII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE PP. XIII

PRO OPPORTVNITATE HABITI SERMONES ANNO MDCCCXCII

I.

DIE I. MARTII

AD S. R. E. CARDINALES

REDEVNTE ANNIVERSARIA CORONATIONIS DIE

Onorare le ceneri e la memoria del Pontefice di cui Ella, Signor Cardinale, ha ricordato in compendio le imprese, fu sempre uno dei pensieri da Noi maggiormente vagheggiati, ispiratoci da carità di patria e da riverenza verso una grandezza consacrata dal suffragio di sette secoli. — E certo, se contingenze esteriori non contrastavano al Nostro desiderio, già da più lustri Egli avrebbe avuto per cura Nostra il suo mausoleo nell' Umbria, in quella terra medesima dove morte lo colse, avviato com' era a compiere personalmente verso due illustri città d' Italia, fra loro discordi, un' opera di pacificazione. Ma il pietoso disegno non potuto eseguire durante il Nostro episcopale ministero, Ci fu dato, grazie alla Provvidenza, recarlo ad effetto quest' anno, e in guisa di tanto più degna, quanto al tempio cattedrale di

Perugia sovrasta in dignità il Duomo di Roma e del mondo. — Ed è bello che gli avanzi mortali d'Innocenzo III riposino in S. Giovanni Laterano, all'ombra di quella Basilica sovrana che lo protesse adolescente, che lo accolse Pontefice, che lo udì da ultimo levare l'autorevole voce, anima e capo di uno dei più importanti e celebrati Concilî Ecumenici.

Da quell'avello, nella Basilica Lateranense, simbolo della cattolica unità perchè madre di tutte le Chiese, più solenni ragionano allo spirito le due grandi idee che furono ad Innocenzo come la forza motrice e lo scopo finale di tutto il suo glorioso Pontificato: *la redenzione di Terrasanta* e *l'indipendenza della Chiesa;* degne ambedue dell'alta mente e dell'apostolico petto ch'egli ebbe. Se non che l'una fu particolarmente propria di quel tempo: l'altra appartiene essenzialmente a tutti i tempi, perchè strettamente collegata coi più alti interessi della famiglia umana. — Pur troppo al paragone di un tal uomo, al cospetto dell'orma profonda, ch'egli stampò sulla terra, Noi sentiamo più che mai la pochezza e insufficienza Nostra. Ma sentiamo altresì allo stesso tempo l'importanza suprema dell'impresa poc'anzi mentovata, per la quale ei si protestava che *il morire gli sarebbe stato un guadagno*, vogliam dire l'indipendenza della Chiesa mediante la libertà del Papato. Impresa a cui certamente con minor virtù, ma forse con egual buon volere andiamo anche Noi indirizzando da quattordici anni le maggiori cure di cui siamo capaci. Grave e malagevole, come vedete, è il còmpito, massime per le mutate condizioni degli animi. Giacchè nel secolo in cui s'avvenne Innocenzo, tra quelle procellose vicende, in quella mescolanza di virtù e di vizî, il predominio sugli animi appartenne al sentimento religioso. Che anzi la fede cristiana vivificava a que'dì, come sangue, tutto l'organismo sociale e politico, attirando conseguentemente le genti all'autorità della Chiesa, come a centro morale

del mondo. Laddove oggidì affievolito vediamo negl' individui, e quasi spento negli ordinamenti sociali lo spirito cristiano; quindi maggiore l' accanimento, e più micidiale lo scopo negli avversarî, i quali se si recano a guerreggiare la Chiesa e il Papato, non gelosia o sete d' impero li spinge, nè capriccio di altre passioni insoddisfatte, ma sì nimicizia profonda, e deliberata volontà di conquidere il nome cristiano. — Fra condizioni siffatte sarebbe mai follia ribramare non già la rozza civiltà, nè le difettose istituzioni del medio evo, ma quella sua fede robusta, inviscerata nella coscienza dei popoli, che contendeva efficacemente al male la finale vittoria, e rendeva per ciò stesso più sanabili le nazioni? Ad ogni modo, possiede la Chiesa una segreta virtù invincibile, che il mondo neppur sa comprendere perchè non viene dal mondo. Fidati in essa, e seguitando tranquilli il Nostro cammino, eccoci pronti a consacrare all' ardua missione quel tanto di vita, che sarà in piacere al Signore di concederci.

Grati delle felicitazioni e dei voti che Ella, Signor Cardinale, Ci ha espressi a nome del Sacro Collegio, ben di cuore li ricambiamo, implorando copiose le grazie del cielo su di esso, come sui Vescovi, Prelati ed altri qui presenti, ed impartendo a tutti con paterno affetto l' Apostolica benedizione.

—

II.

DIE XXV. MARTII

AD EOS QVI PROMVLGATIONI ADERANT DECRETORVM

DE MIRACVLIS A DEO PATRATIS

INTERCESSIONE VENN:

FRANCISCI XAVERII BIANCHI ANTONII BALDINVCCI ET GERARDI MAIELLA

Se oggi con esultanza e con giubilo celebriamo la memoria del grande mistero da cui l' opera dell'umana redenzione ebbe principio, e se oggi tutti i fedeli colla Santa Chiesa inneggiano oltre l'usato alla Vergine annunziata dall' Angelo, Noi abbiamo voluto che questa festività ricorresse in quest' anno per Noi ancor più lieta e solenne. E ciò, prescegliendo e destinando questo memorabile giorno alla promulgazione dei decreti, coi quali si riconoscono i miracoli da Dio operati ad intercessione dei Venerabili suoi servi Francesco Saverio Bianchi, Antonio Baldinucci e Gerardo Maiella.

Li udiste, o dilettissimi, questi decreti; e dalla lettera di essi e da ciò che hanno poi soggiunto i Postulatori delle cause, udiste ricordati i pregi e le virtù singolari di che i tre venerabili furono adorni; e soprattutto udiste rammentare quell' ammirabile loro corrispondenza alla grazia divina che li arricchì in tanta copia di favori celesti, ed anche in vita, fra gli uomini, gli fe' salire a tanta riputazione e rinomanza di santità.

Per vie diverse queste tre anime elette poterono elevarsi ad un grado sì eccelso di perfezione cristiana. Due di essi vi pervennero mediante i carismi del sacerdozio, coll' assiduo studio delle sacre dottrine che informarono le loro menti alla celeste sapienza,

e finalmente coll'esercizio indefesso dell'Apostolico ministero; l'altro nel semplice stato di Laico professo, coll'umile pratica degli officî domestici i più ordinarî e comuni. — Imitatori i primi dei più zelanti banditori del Vangelo, ed Apostoli della fede ottennero dalla predicazione e dalle loro fatiche meravigliosi successi; ma l'altro colla sua esemplare pazienza, modestia e pietà, in una vita nascosta, *omnes in admirationem rapuit,* come ben dice il decreto ora letto. Tanto è vero che ognuno quaggiù, nella propria condizione, purchè si studii di rispecchiare in se stesso il divino maestro, può sempre cogliere frutti abbondanti di santità.

Si rallegrino pertanto, e con piena ragione, in questo fausto giorno le benemerite famiglie religiose, da cui uscirono questi tre fulgidissimi luminari, e si allietino pure della gloria e del lustro novello che ciascuno di essi aggiunge al proprio Istituto. — Ma questa gloria e questo gaudio servano ai religiosi degli istituti medesimi di eccitamento e di stimolo a camminare sulle loro orme, e ad emularne gli esempî. Poichè la Chiesa, colla solenne promulgazione de' suoi decreti, non solo ha in mira di rendere onore alla santità de' suoi figli; ma intende e vuole altresì additare a tutti i fedeli altrettanti modelli da imitare.

Quanto a Noi, ringraziamo il Signore, e godiamo in vedere condotta a sì felice termine la causa di questi tre eroi; ad uno de' quali, cioè al Venerabile Baldinucci, in modo speciale Ci lega una cara tradizione domestica, che il Postulatore della causa ha ora ricordato.

Augurandoci, coll'aiuto di Dio, di poter quanto prima innalzare questi eroi medesimi all'onor degli altari, impartiamo con paterno affetto a quanti sono qui presenti la benedizione Apostolica.

—

III.

DIE XXIII. DECEMBRIS
AD S. R. E. CARDINALES
REDEVNTIBVS DOMINICAE NATIVITATIS SOLLEMNIBVS

Prossimi, come siamo, all'anno giubilare della Nostra episcopale consecrazione, e compresi però più che mai dal pensiero del conto da rendere al Pastore eterno delle anime, ben vorremmo che Iddio pietoso s'inchinasse a benedire, avverandoli, gli odierni augurî del sacro Collegio, massime in quella parte che non riguarda alla persona Nostra direttamente, ma sì all'alto ministero, di cui siamo investiti. Al quale quando piacesse al Signore di concedere quella fecondità di frutti, che Ci fu poc'anzi augurata, sarebbe raggiunto il sommo de' Nostri propositi, e conseguita la più salda corona che desiderar si possa alle cure travagliose di un pontificato già lungo. — Ma se incombe a Noi l'opera di piantare e irrigare, quella ben altrimenti maggiore di far sì che la semente fruttifichi, appartiene tutta a Dio, che ne riserba a sè il come e il quando. — Intanto, ella, Signor Cardinale, lo ha detto, la tempesta ingrossa. E tant'è: chi per poco guardi dal lato morale e religioso l'Europa contemporanea, è purtroppo visibile l'infuriare di una procella gravida di disastri e rovine: rovine e disastri che non avranno termine nè ristoro efficace, se non mediante la riparatrice virtù di quella medesima istituzione divina, che è fatta sconsigliatamente segno alle maggiori offese. — Tra siffatte vicende, memori del mandato che diè Gesù Cristo al beato Pietro e agli Apostoli, *euntes.... docete omnes gentes,* Noi stendiamo le Nostre sollecitudini alla salute delle genti universe. — Ma debito

di ministero e schietta carità di patria Ci trassero novellamente a volgere in particolar guisa lo sguardo alle condizioni morali della nostra Penisola, dove sotto le ceneri ancor fumanti dei rivolgimenti politici, si agitano propositi esiziali alle anime, e ciò più di tutti per fatto di una setta malvagia, che non è, e non sarà mai amica vera del popolo, perchè nemica di Dio. Togliemmo altre volte a svelare le cupe mire e le arti astute della società massonica: ma nondimeno Ci è parso buono levar di nuovo al medesimo proposito in questi ultimi giorni la voce, visto che la rea setta ha ognora libero il campo a pervertire menti e cuori, ostinata e caparbia come lo spirito del male che l'ha partorita. Essa per fermo men funesta riuscirebbe, quando altri argomenti non avesse che le proprie forze; ma trova purtroppo in chi regge favore e sostegno, a grande sventura di una nazione non pur battezzata, ma da Dio benedetto privilegiata fra tutte. — Questa nazione doppiamente cara al Nostro cuore, procacciate pure di farla prospera e grande: spronatela quanto v'aggrada a camminar del paro co' popoli più culti verso ragionevoli incrementi civili: ma deh! non toccate la sua fede e gl'istituti che la avvivano, non tradite questo retaggio sacrosanto a mano di una setta profanatrice delle ragioni di Cristo redentore. E ciò maggiormente perchè se da un lato essa muove guerra spietata all'ordine spirituale, percuote e scalza dall'altro, per filo di logica, le fondamenta dell'ordine civile. Giacchè, sarebbe vano il negarlo, le dottrine e gl'influssi massonici, rimosso ogni freno di religione, sono un gran fomite alle immoderate voglie novatrici delle plebi. — Havvi sì un riscatto, conforme a ragione e a giustizia, meritamente reclamato dalle classi men fortunate: ma non alludiamo a questo: alludiamo bensì a quel movimento intellettuale e popolare che col favore della setta va propagandosi di contrada in contrada anche fra Noi, indirizzato a demolire i presenti ordini

pubblici coll' intento di rifarne altri da capo sopra nuove basi. Ebbene, in mezzo a tali perigli, quando vanno facendosi più minacciose le cupidigie dei partiti eccessivi, è doloroso a vedere come si prosegua a nimicare la Chiesa, a diffidare di questa madre de' popoli redenti. Eppure l' azione sua, essenzialmente destinata a santificare gl' individui, non può essere che guarentigia di ordine e presidio di sicurezza agli Stati. Ripudiarla dunque, o menomarne la libertà, non è senno politico: disconoscerne i benefizî, è ingratitudine.

Comunque sia, la Sposa di Cristo non è nuova alle ingratitudini umane; e consapevole de' doveri e dei diritti che tiene dall' alto, compie serena e tranquilla il faticoso suo pellegrinaggio, curando amorosamente di ravviare e illuminare gli individui e i sodalizî umani, che ella vuol salvi nel tempo e nell' eternità. — Quanto a Noi, in quest' opera di salvezza seguiremo ad impiegare, fin che sarà in piacere del cielo, tutti i mezzi che Iddio Ci ha posti in mano: il ministero della parola, l' altezza del grado, l' autorità del comando, l' inflessibilità del dovere, tutto ripromettendoci non dalle poche forze Nostre, ma da quella virtù sovrumana, che da diciannove secoli va operando la salute in mezzo alla terra, e che non è mutata, nè è mutabile.

Che Iddio onnipotente degni frattanto, come Noi umilmente lo supplichiamo, di spandere copiose le sue benedizioni su Roma e sul mondo, richiamando le umane generazioni a sani propositi e a sensi pacifici, Egli che, nascendo secondo la carne, volle essere vaticinato col titolo di Principe della pace.

Vivamente grati al Sacro Collegio per gli amorevoli sentimenti che Ci ha significati, gli auguriamo in ricambio ogni più desiderabile bene, e impartiamo a ciascun membro di esso, come pure ai Vescovi, ai varî Prelati e a tutti qui presenti, l' Apostolica benedizione.

—

INDEX

MDCCCXCII

Epistola «*Litterarum officia*» die 14 Ianuarii ad Episcopum Segoviensem aliosque Episcopos provinciae ecclesiasticae Vallisoletanae; quorum obsequentissimas litteras, ineunte anno datas, libenti gratoque se animo accepisse testatur . . . . Pag. 1

Epistola «*Apprime accommoda*» die 16 Ianuarii ad Patritium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Moran Archiepiscopum Sydneyensem aliosque Archiepiscopos et Episcopos Australiae. — Se valde delectatum fuisse significat epistolâ ab ipsis communiter data, quum ex conventu habito apta sese ipsis obtulerit scribendi occasio. — Eorum sedulitatem in episcopalibus muneribus obeundis summopere commendat. — Pergratum sibi fuisse addit allatum nuncium de christianae fidei incrementis in dissitis Australiae regionibus . . . » 3

Epistola «*Etsi Nos*» die 18 Ianuarii ad Iacobum Radini Tedeschi ab intimo suo Cubiculo. — Pergratas sibi fuisse testatur litteras ab ipso datas una cum lectis aliis viris, quibus concreditum munus est curandi ut quinquagenaria memoria Episcopalis consecrationis suae solemniter in Italia celebretur. — Laetatur inprimis quod nobilis incepti patrona et auspex ab iisdem electa sit Virgo labis nescia. — Libenter se perspexisse declarat varium ac multiplex operum genus, quae scite ab ipsis cogitata sunt. — Industriam et studia in hoc inceptum collata meritâ laude prosequitur. . . . . » 5

Epistola « *Omnibus refertas* » die 26 Ianuarii ad Paulum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Melchers. — Se libentissime accepisse significat amoris et officii plenas, quas ipse detulit, litteras, a catholicis ex universa Germania opificibus coniunctim datas. — Valde laetatur, paternae sollicitudini curisque a se, opificum causa, susceptis, respondere mutuo gratum animum pronamque ipsorum opificum ad parendum voluntatem. — Magno se gaudio affectum scribit quod iidem testati sint nihil sibi antiquius, quam ut acceptam a maioribus fidem firmiter teneant, eamque operibus constanter prae se ferant. Illud sperandum addit fore ut altera etiam civium classis ultro sit praestitura operariis hominibus quae ad concordiam utriusque ordinis conciliandam necessaria sunt . . . . . Pag. 7

Epistola « *Initia atque incrementa* » die 30 Ianuarii ad Anselmum M. Priorem Cartusiae, Min. Gen. Ord. Cart. — Opus in lucem editum « *Annales Ordinis Cartusiensis* » valde commendat. — Peculiarem Pontificum romanorum in Ordinem ipsum benevolentiam studiumque commemorat. — Sodales Cartusienses hortatur ut vitam omnem sic instituere perseverent, ut digni patribus suis habeantur . . . . . » 10

Epistola « *Quod scribis* » die 1 Februarii ad Franciscum Picard, Praepositum Sodalium Augustinianorum ab Assumptione. — Peregrinationem Hierosolymitanam, superiorum annorum more institutoque, proxime susceptum iri, magnopere sibi gratum esse scribit. — Valde etiam laudabile atque opportunum id censet, quod inter sanctissima Palaestinae monumenta agantur hoc anno solemnia Eucharistica. — Cardinalem Archiepiscopum Rhemensem, qui personam suam ad ea solemnia gerat, se legavisse significat. — Iis omnibus qui ad sancta Palaestinae loca sunt peregrinaturi, eadem privilegia easdemque indulgentias concedit, quas alias largitus est: itemque facultates confirmat Moderatori peregrinationis tributas, eique potestatem facit alium sacerdotem, si res postulet, eligendi, qui vicario ipsius munere fungatur . . . . . » 12

Epistola « *Comperta* » die 4 Februarii ad Comitem Franciscum Capece Galeota, Praesidem Consociationis iuvenum Neapolitanorum a S. Alphonso appellatae. — Valde se delectatum significat litteris ab ipso consilioque eidem adsidente datis, in quibus ea quae superiore vicennio a pia Consociatione gesta sunt distincte ac dilucide explicabantur. — Sodalium pietatem diligentiamque commendat, omnesque vehementer hortatur, ut nobili, quam iniere, via alacres pergant. PAG. 14

Decretum « *Consensus mutuus* » die 15 Februarii; quo coniugia praesumpta nulla esse in posterum statuitur . . . . . » 16

Epistola Encyclica « *Au milieu des sollicitudes* » die 16 Februarii ad Archiepiscopos et Episcopos, clerum omnesque fideles Galliae. — Perspecto penitus acri inimicorum studio, eo adnitentium ut deleatur in Gallia catholicum nomen, necessarium ducit, elata iterum voce, enixius cohortari non modo catholicos, sed quotquot habet Gallia probos cordatosque homines, ut procul a se abiiciant omnia politicae dissensionis germina, viresque suas omnes ad patriae pacificationem conferant. — Initium facit a veritate exploratissima, gentium omnium testata historiis, religionem scilicet, eamque solam, sociale vinculum creare posse, eamque unam satis esse ut nationis cuiusvis pax solidis consistat fundamentis. — Religionis sensus in Gallicis fidelibus necesse est altius insideat et latius pateat; iis namque feliciter obvenit ut ad veram religionem pertineant, quae prae ceteris virtute pollet qua optime regatur hominum vita cum privatim tum publice. — Calumniam indicat, quae callide vulgatur, nimirum suasiones quibus catholici monentur conniti viriliter ad tuendam fidem suam, eo reapse spectare ut politicus in rem publicam dominatus concilietur Ecclesiae. — Veterem hanc esse calumniam ostendit, quippe quae a primaevis christiani nominis hostibus excogitata fuit. — Praeteritae aetatis memoriam breviter repetit, ne praesentium rerum aspectus fideles perterreat. — Ad ea deveniens, quae propius rem attingunt, de politicis Gallorum dis-

sidiis loquitur circa rationem agendi erga illud, quo res publica regitur, populare imperium. — Varias regiminis formas commemorans, integrum omnino esse ait catholicis, aeque ac ceteris civibus, in iis quaestionibus quae in cognitione non in actione versantur, alteram alteri praeferre imperii formam. — At si quaelibet imperii forma per se bona est, et potest populorum regimini accommodari, revera tamen non eadem ubique gentium regendae rei publicae forma occurrit: sua cuique genti propria est. — Cives omnes tenentur haec imperii genera admittere: semperque Ecclesia improbavit doctrinas damnavitque homines legitimae auctoritati reluctantes. — Nulla tamen tam stabilis esse potest imperii forma, quae nequeat prorsus immutari, uti est in historia testatissimum. — Eiusmodi rerum publicarum conversionum causas recenset. — Cum haec inciderint, socialis necessitas iustam praebet rationem cur nova constituantur et consistant regimina, quamcumque demum formam induerint. — Ea novitate imperium minime afficitur, sed manet immutabile semper dignumque obsequio; quaecumque enim eius exordia, prout tale est, a Deo est semperque a Deo. — Hinc sua luce clarescit sapientia Ecclesiae in retinenda consuetudine negotia agendi cum multiplici genere potestatum civilium. — Salutaris eiusmodi via Gallis omnibus ineunda est, proindeque dissidia amovenda quibus invicem distrahuntur. — Difficultatem diluit ex eo petitam quod ii qui populari praesunt imperio tam infenso animo sint catholicae religioni, ut nemo probus ratum illud habere possit. — Distinguit inter potestates constitutas et latas leges. — Adeo leges distant a politicis potestatibus earumque forma, ut eo sub imperio, cuius forma sit praestantissima, pessimae possint condi leges, itemque contra. — Submotis dissidiis de re publica, debent probi homines quasi in unum corpus coalescere ut legitima quavis et honesta ratione progredientem legum, quae feruntur, iniquitatem oppugnent. — Neque vero debitâ potestatibus constitutis observantiâ potest hoc interdici. — Antequam litteris finem faciat, nonnulla in primis attingit de *Concordato*. — Quid de ipso cogitent adversarii religionis explicat,

hortaturque fideles ne dissidia excitent ea super re, cuius cura pertinet ad Apostolicam Sedem. — Loquitur deinde de *separatione rei publicae ab Ecclesia*, paucisque ostendit quam absurdum sit eiusmodi placitum. — Causas recenset quae hanc rerum rationem toleratu dignam in quibusdam regionibus efficiant: ad Galliam tamen quod attinet nefas esse demonstrat, Ecclesiam in eam deduci vitae conditionem. — Nunquam satis diligenter cavebunt catholici ne huic separationi suffragentur. — Valde confidit fore ut declaratio argumentorum de quibus actum est, pacificationem animorum faciliorem efficiat, eiusque ope coniunctionem perfectam catholicorum omnium ad tuendam religionis causam . . . . . Pag. 19

Decretum « *Postquam* » die 18 Februarii; quo dubia nonnulla explicantur, S. Rituum Congregationi proposita de cultu Sacrae Familiae. . . . . » 42

Epistola « *Perlectis* » die 25 Februarii ad Maximilianum Liberum Baronem de Wittinghoff-Schell. — Solatio sibi atque oblectationi fuisse significat obsequiosas litteras, a fidelibus innumeris, Vindobonae congressis, datas. — Ex his libenter se agnovisse scribit, probe ipsis perspectam esse gravitatem causae de qua actum est in Litteris encyclicis de conditione opificum, alteque insidere eorum animis curam connitendi nequid amplius dimicationis sit opifices inter et pecuniosos homines. — Vehementer optat ut quae ab ipsis geruntur prosperos, Deo iuvante, successus habeant . . . . . » 45

Epistola « *Quum parari* » die 27 Februarii ad Honorabilem Virum Thomam B. Bryan. — Se perlibenter intellexisse significat, ob saecularia solemnia ad memoriam honestandam Christophori Columbi, parari Chicagiae spectaculum insigne et apparatissimum, collectis apteque propositis rebus operibusque omne genus. — Huius rei molitio et effectio novum erit praebitura argumentum vasti ingenii actuosique animi americanae gentis. — Peramplae Reipublicae cives, eamdem ob rem, merita

laude exornat; vota adiicit ut nobile eorum inceptum prosperos exitus habeat . . . . . Pag. 47

Epistola « *Quum pro ea* » die 3 Martii ad Iosephum Benedictum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Dusmet, Archiepiscopum Cataniensem; cui peramanter gratulatur ob natalem vicesimumquintum suscepti episcopatus. . . . . » 49

Epistola « *Vix est* » die 10 Martii ad Episcopum Trevirensem. — Se valde delectatum inquit eximiis sincerae solidaeque pietatis argumentis, a catholicis tum trevirensis dioecesis tum finitimarum regionum editis, quum sacra Christi Tunica desideriis ac venerationi fidelium in templo Cathedrali trevirensi proposita fuit. — Gratias agit de oblata a fidelibus ipsis petriana stipe. » 51

Litterae Apostolicae « *Ex officio supremi Apostolatus* » die 11 Martii: quibus in Cathedrali Ecclesia Sherbrookensi Canonicorum Capitulum instituitur . . . . . » 53

Litterae Apostolicae « *Quum Nobis* » die 11 Martii: quibus Praefectura Apostolica Norvegiae ad gradum Apostolici Vicariatus erigitur. . . . . » 55

Epistola « *Pastoralem zelum vestrum* » die 14 Martii ad Archiepiscopum Firmanum aliosque Episcopos provinciae Piceni. — Libenti gratoque se animo accepisse testatur obsequiosas litteras ab iisdem perscriptas post consilia collata in communi conventu Firmi habito, simulque exemplar pastoralis epistolae ad clerum et populum dioecesium suarum ab ipsis coniunctim datae » 57

Epistola « *Valde quidem* » die 20 Martii ad Sebastianum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Galeati, Archiepiscopum Ravennatium. — Iis gratulatur qui consilium cepere, monumentum ex collatione omnium populorum Danti Aligherio Ravennae ponere. — Insignia nobilissimi poetae in communem gentium humanitatem merita, inprimisque quam praeclarum ille sit chri-

stianorum institutorum decus commemorat. — Decem millia italicorum nummûm, tamquam animi voluntatisque suae testimonium, in monumentum supra dictum confert; simulque Bibliothecae Classensi dono mittit exemplar divini poematis ex codice vaticano haud multo ante excussum . . . . PAG. 59

Epistola « *Ea quae propediem* » die 22 Martii ad Serenissimum ac potentissimum Christianum IX, Daniae Regem. — Sinceros gratulationis suae sensus et ipsi et Serenissimae Reginae expromit ob quinquagenariam memoriam ipsorum connubii. — Daniae catholicos inprimisque Praefectum Apostolicum benevolentiae atque humanitati Regis enixe commendat. . . » 61

Litterae Apostolicae « *Cum Venerabilis Frater* » die 25 Martii: quibus Priori Monasterii Ciriciensis in dioecesi Tarnoviensi insignium pontificalium usus in Coenobii ecclesia conceditur » 63

Epistola « *Res gestas* » die 3 Aprilis ad Marcellinum a Civetia, Sodalem Franciscalem ex Ordine veteris observantiae. — Libros commendat ab ipso variis temporibus editos, inprimisque opus illud recentius, in quo elaboravit etiam industria Theodori Dominichelli, sodalis item franciscalis, nempe apographon divini poematis ex codice vaticano, cum interpretatione latina atque explanatione Ioannis Serravallensis, in lucem prolatum . » 65

Litterae Apostolicae « *Ecclesiasticos viros* » die 5 Aprilis; quibus Ecclesiae Cathedralis Wladislaviensis Canonicis certa honoris insignia conceduntur . . . . . » 67

Litterae Apostolicae « *Universalis Ecclesiae* » die 5 Aprilis: quibus Archidioecesis Marianopolitana dividitur ac dismembratur, et nova Dioecesis Campivallensis erigitur . . . . . » 69

Epistola « *Non mediocri* » die 5 Aprilis ad Iosephum Sebastianum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Neto Patriarcham Olisiponensem, Americum S. R. E. Presbyterum Cardinalem dos

Santos Silva Episcopum Portus Calensis aliosque Archiepiscopos et Episcopos Lusitaniae. — Quae ab ipsis, litteris communiter datis, relata sunt de frequenti conventu Olisipone in aedibus patriarchalibus habito, pergrata sibi accidisse testatur. — Istiusmodi conventuum agendorum consuetudinem commendat, et Lusitaniae Episcopos hortatur ut illam sedulo retineant. — Merita exornat laude ea quae ab ipsis in eodem conventu opportune sapienterque constituta sunt. — Ex animo precatur ut eorum curae optatos exitus, Deo iuvante, sint habiturae . . . . . Pag. 71

Epistola « *Quoniam saepe* » die 6 Aprilis ad Ioannem Baptistam De Rossi, Musei christiani praefectum; cui, annum vitae septuagesimum feliciter emenso, quamplurimum gratulatur. — Praeclara eius merita commendat, Deumque enixe rogat ut eum diu sospitet, quo magis Ecclesiae utilitati et Urbi decori esse possit . . . . . » 75

Epistola « *Sacrae a Visitatione Virgines* » die 9 Aprilis ad Episcopum Anneciensem. — Benevole amanterque se accepisse scribit obsequentes litteras, quibus sacrae a Visitatione Virgines ex primario Sanctae Mariae Monasterio Anneciensi, significavere, consilium sese iniisse edendi ex integro, auctoritate et vigilantia Episcopi, itemque doctioribus e clero viris curas conferentibus, opera omnia Sancti Francisci Salesii. — Ex oblato specimine spem bonam apparere addit, susceptum opus tanta in genere suo perfectione futurum, ut inclito Doctore monumentum plane dignum existat. — Eidem devotarum Virginum Collegio petitam veniam libenter concedit, ut nempe istiusmodi libros de nomine Suo inscribant et proferant . . . . . » 77

Epistola « *Quod eisdem* » die 9 Aprilis ad Petrum Gasparri ab intimo suo Cubiculo; quem laudibus prosequitur ob nuper editum binis voluminibus Tractatum canonicum de Matrimonio . . . . . » 79

Epistola « *Prudentiâ dignum* » die 23 Aprilis ad Gasparem Decurtins. — Valde commendat consilium ab ipso susceptum de selectis quibusdam vulgandis scriptionibus, ad disciplinas, quae sociales audiunt, pertinentibus. — Avere se addit ut eiusmodi disciplinae, prout ratio temporis vehementer postulat, a catholicis hominibus sedulo excolantur. . . . . PAG. 81

Epistola « *Quum plurimi* » die 23 Aprilis ad Alexandrum Bergasse aliosque directores operis periodici inscripti « *Le XX*me *siècle.* » — Benevole amanterque se accepisse testatur eorum litteras officii plenas, simulque volumina, quae editas ab ipsis scriptiones complectuntur. . . . . » 83

Decretum « *Ad quaestionum germina* » die 26 Aprilis; de iuribus et praerogativis Ecclesiae S. Andreae in civitate Sublaci. » 85

Litterae Apostolicae « *Ad universas* » die 27 Aprilis; de erectione novarum Dioecesium in Brasiliae regionibus . . . . . » 88

Litterae Apostolicae « *Quae catholico nomini* » die 28 Aprilis: quibus Praefectura Apostolica S. Georgii Terrae Novae ad gradum et dignitatem Vicariatus Apostolici evehitur, ac Praefectura *de Placentia Bay* supprimitur . . . . . » 102

Litterae Apostolicae « *Quae in catholici nominis* » die 29 Aprilis: quibus novo Episcopo Paderbonensi administratio apostolica Missionum Ducatus Anhaltini confertur . . . . . » 105

Epistola « *Notre consolation* » die 3 Maii ad S. R. E. Presbyteros Cardinales Florianum Desprez Archiepiscopum Tolosanum, Carolum Lavigerie Archiepiscopum Algerianum et Carthaginensem, Carolum Place Archiepiscopum Rhedonensem, Iosephum Foulon Archiepiscopum Lugdunensem, Benedictum Mariam Langénieux Archiepiscopum Rhemensem et Franciscum Richard Archiepiscopum Parisiensem. — Summopere acceptam sibi obvenisse testatur communem epistolam, quibus ipsi

significaverant grato se animo propensissimaque voluntate excepisse Litteras encyclicas « *Au milieu des sollicitudes* » die 16 februarii ad episcopos, ad clerum atque ad fideles Galliae datas. — Maximi momenti causâ sese ad istiusmodi litteras perscribendas permotum fuisse commemorat. — Earum opportunitatem gravitatemque ex ipsa inimicorum agendi ratione demonstrat. — Paucis complectitur praecipua documenta iisdem consignata litteris, eademque confirmat. — Calumniam refellit ex eo petitam quod Pontificis, in rebus Galliae, agendi ratio, alia videatur ab eius agendi ratione erga Italiam. — Plane confidit eosdem Cardinales Archiepiscopos strenue, ut faciunt, constanterque, religionis et patriae causâ, adlaboraturos. PAG. 107

Instructio « *Amplitudo Tua* » Sacri Consilii de Propaganda Fide, die 3 Maii; super scholis nonnullis Archidioecesis S. Pauli de Minnesota . . . . . » 117

Epistola « *Facile tibi* » die 3 Maii ad Episcopum Leodiensem. — Ex eius litteris sese libentissime accepisse scribit, septem conventibus Eucharisticis huc usque actis in variis Europae urbibus, octavum addendum proximo anno, sedemque illi esse Hierosolymam designatam. — Huius consilii opportunitatem utilitatemque commendat, iisque omnibus qui ipsi conventui interfuerint, easdem largitur sacras indulgentias, quas iis concessit qui ante biennium simili coetui Antuerpiae interfuere. » 121

Epistola « *Gnarum tibi est* » die 7 Maii ad Carolum Woest. — Ea commendat, quae in generali conventu a circulis catholicis et societatibus conservatricibus Belgicis proxime habito, peracta sunt . . . . . » 123

Epistola « *Rituum sacrorum* » die 7 Maii ad Chalcedonium Mancini, presbyterum e Congregatione Missionis. — Oblatum ab ipso voluminum donum « *Ephemerides liturgicae* » pergratum sibi accidisse testatur. — Sese multum doctrinae sacrorum rituum semper tribuisse, eiusque studium omni ope excitavisse

declarat. — Ipsum eiusque in scribendo socios valde hortatur ut optime de religione mereri pergant . . . . . Pag. 125

Litterae Apostolicae « *Quo magis* » die 16 Maii; de Indulgentia *toties quoties*, die festo Deiparae Virginis de Monte Carmelo a christifidelibus lucranda . . . . . » 128

Epistola « *Primitias ingenii* » die 21 Maii ad Albertum Farges Sacerdotem e Sodalitate Sulpitiana. — Se ab initio pontificatus id sedulo contendisse scribit ut disciplinae maiores ad certam veterum rationem, auctore Thoma Aquinate, revocarentur. — Quamobrem sese libenter accepisse testatur opus ab ipso oblatum cui titulus « *Etudes philosophiques.* » — Valde commendat curas ab ipso susceptas, ut veteri optimorum philosophiae, quatenus in observatione et cognitione naturae versatur, suum stet decus; eumdemque vehementer hortatur ut coeptis alacriter insistat . . . . . » 130

Epistola « *Id sane* » die 21 Maii ad Gulielmum Alliata et Philippum Tolli. — Laeto se animo intellexisse significat, cum quinquagesimo episcopatus sui natali, annum concurrere vicesimum quintum a condita catholicae iuventutis italae Societate.— Solatio sibi fuisse declarat egregios obsequii pietatisque erga Apostolicam Sedem sensus, quos ipsi, omnium nomine, testati sunt. — Vota ex animo addit ut societas ipsa maiora in dies incrementa capiat . . . . . » 133

Epistola « *Quae coniunctim* » die 23 Maii ad Archiepiscopum et Episcopos provinciae ecclesiasticae Neo Eboracensis. — Controversias et disputationes memorat nuper in Americae Statibus foederatis ortas propter conventionem initam inter Archiepiscopum S. Pauli et civiles magistratus circa scholas in oppido sitas *Faribault* et *Stillwater*. — Sese eiusmodi controversias, cunctis diligentissime expensis, eo responso dirimendas censuisse scribit, quod a S. R. E. Card. Sacri Consilii de Propaganda Fide Praefecto patefieri iussit ecclesiarum Prae-

sulibus quae in civitatibus foederatis sunt Americae Septentrionalis. — Sibi neminem in hoc iudicio suspicionem iniecisse declarat, timendum fore ne vexarentur catholici si ea quae gesta fuerant ab Archiepiscopo S. Pauli essent improbata. — In huiusce causae cognitione et iudicio sese animum attulisse probe memorem studiosumque decretorum, quae in Synodis Baltimorensibus super scholis paroecialibus conscita sunt. — Episcopos ipsos vehementer hortatur, ut una cum ceteris dioecesium Praesulibus connitantur ne pueri catholici eos celebrent litterarios ludos, in quibus religiosa eorum institutio praetermittitur. — Itemque enixe contendant, ut qui summae rei praesunt in civitatibus singulis, sapientium legum latione, prospiciant ut docendi munus, quod collatis etiam catholicorum opibus exercetur, nihil habeat quod eorum conscientiae officiat aut religionem offendat. — Valde confidit arctius in dies ipsos devinctum iri perfectae caritatis concordiaeque vinculis cum ceteris Episcopis, quos communis patriae nomen eisdem coniungit . . . . . Pag. 135

Litterae Apostolicae « *Quod ab Episcopis* » die 30 Maii; quibus sedes episcopalis Sebastena Archiepiscopali titulo tantum in praesentia augetur, eidemque ecclesia Tokatensis aeque principaliter unitur . . . . . » 140

Epistola « *Non levem* » die 1 Iunii ad Archiepiscopum Turonensem. — Valde se delectatum scribit litteris ab eo datis, ex quibus perspexit curam omnem operamque ab ipso conferri ut inter Galliae catholicos concordia vigeat, omnesque libenter Apostolicae Sedis documentis obtemperent. — Egregiam ipsius voluntatem magnopere commendat, eamque patriae non minus quam Ecclesiae plurimum profuturam confidit . . . . . » 143

Litterae Apostolicae « *Quod est in more positum* » die 2 Iunii; quibus certa honoris insignia Canonicis, Mansionariis et Archipresbyteris Foroliviensibus conceduntur . . . . . » 145

Litterae Apostolicae « *Neminem fugit* » die 14 Iunii; de Statutis piae Consociationis a Sacra Familia. . . . . Pag. 149

Litterae Apostolicae « *Quum nuper* » die 20 Iunii; de indulgentiis et privilegiis piae Consociationis a Sacra Familia . . . » 159

Epistola « *Quum ea soleant* » die 25 Iunii ad Equitem Franciscum Brandts, praesidem Societatis ab « *Arbeiterwohl* » appellatae. — Libenti gratoque animo sese accepisse testatur litteras, eo praeeunte, datas a Societate, Gladbaci Monachorum duodecim ante annos instituta, quae a curando operariorum bono sibi nomen fecit. — Valde laetatur quod Litterae Encyclicae de opificum conditione propensa voluntate plenoque obsequio a quamplurimis ex iis, quibus illi solent operas suas locare, exceptae sint. — Prosperos eiusdem Societatis successus commemorat, sodalesque omnes hortatur ut alacres concordesque operi instare pergant . . . . . » 169

Epistola « *Quo sint erga Nos* » die 27 Iunii ad Comitem Felicem de Loe. — Singulari laude prosequitur ea quae nuper in catholicorum conventu Fuldensi acta sunt. — Se nihil antiquius habere significat, quam ut catholica religio augescente in dies prosperitate in Germania floreat, adversarum legum expedita nexibus, earum praesertim quae ad religiosam iuventutis institutionem pertinent. — Germaniae fideles hortatur ut omni legitima ratione contendant eorum compotes effici quae adhuc in optatis sunt . . . . . » 172

Litterae Apostolicae « *Romanorum indulgentiâ Pontificum* » die 1 Iulii, quibus Canonicis titularibus Ecclesiae Divionensis peculiare honoris insigne conceditur. . . . . » 175

Allocutio « *Nonnihil allocuturi* » habita in Consistorio, die 11 Iulii. — Varii generis acerbitates, quae in Ecclesiam diu iam incubuerunt, ex Italia ingravescere vehementer dolet. — Recens meminit eorum nefas, quibus impune licuit in luce ipsa civita-

tum multa effundere flagitiosissima, atque impia sectarum proposita insolentius patefacere. — Summopere interest, tantae nequitiae virtutem opponere impavidam et constantem. — Ecclesiae et Apostolicae Sedis iuribus nihil esse testatur per vim aut per suffragium temporis detractum, sed integra et salva permanere; eaque se repetere et vindicare nunquam intermissurum . . . . . Pag. 177

Epistola encyclica « *Quarto abeunte saeculo* » die 16 Iulii ad Archiepiscopos et Episcopos ex Hispania, Italia et utraque America. — Immortale factum commemorat, quum nempe, Christophori Columbi operâ, ex inexplorato Oceani sinu alter emersit orbis. — Facti ipsius magnitudo, vis varietasque beneficiorum, quae inde consecuta sunt, grata quidem recordatione atque omni honoris significatione auctorem celebrari iubent. — Singularis praeterea est causa, quamobrem auspicatissimi eventus memoria ab Ecclesia digne grateque celebretur. — Plurimum enim in re suscipienda perficiendaque fides catholica potuit. — Quo igitur digne et convenienter veritati, sollemnia Columbiana agantur, ad celebritatum civilium decus adhibenda est religionis sanctitas. — Quapropter edicit, ut die XII Octobris, aut proximo die dominico, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis ex Hispania, Italia, atque ex utraque America, post officium diei, solemni ritu Missa celebretur *de Sanctissima Trinitate:* idque confidit fore ut et apud ceteras nationes, Episcopis auctoribus, peragatur . . . . . » 179

Epistola « *Quum ea* » die 18 Iulii ad Doctorem Geier, praesidem Collegii praeparatorii coetus Catholicorum e Germania. — Periucunde se affectum fuisse testatur litteris officii plenis, ab ipso collegisque suis datis, ex quibus agnovit, quartum Moguntinum coetum propediem celebratum iri. — Deum enixe adprecatur ut omnibus iis qui eiusmodi coetui interfuerint gratiae suae praesidiis propitius adsit, ac nobile eorum inceptum uberibus lectissimisque fructibus ditet . . . . . » 187

Epistola « *Lubentissime agnovimus* » die 20 Iulii ad Episcopum Peoriensem. — Magnopere laetatur quod catholici haud exiguam partem habituri sint spectaculi insignis et apparatissimi, quod Chicagiae paratur, collectis propositisque omne genus rebus atque operibus. — Valde commendat susceptum ab Episcopis Americae Septentrionalis consilium excitandi in id etiam industriam Moderatorum Institutorum catholici nominis, quae educationi doctrinaeqne iuvenilis aetatis addicta sunt. PAG. 189

Litterae Apostolicae « *Universi* » die 21 Iulii; quibus Vicariatus Insularum Seychellarum in Dioecesim erigitur, novaeque dioecesis episcopalis sedes in civitate « *Port Victoria* » constituitur. » 191

Epistola « *Quam propensa* » die 22 Iulii ad Episcopum Aniciensem. — Benevole libenterque sese accepisse testatur litteras a clero dioecesis Aniciensis datas. — Haud exigua animi oblectatione ex iis perspexisse, paternis curis in Galliae bonum a se susceptis respondere mutuo paratam ac promptam cleri eiusdem ad parendum voluntatem. — Deum adprecatur ut egregia ipsorum proposita confirmet . . . . . » 193

Motu-Proprio « *Alumnis* » die 25 Iulii, de Theologiae disciplina in Seminario Vaticano constituenda . . . . . » 195

Epistola « *Tam gratum* » die 27 Iulii ad Desideratum Mercier, Antistitem urbanum. — Perplacuisse sibi significat consilium ab ipso initum condendi Lovanii Seminarium philosophicum, Instituto superiori philosophiae thomisticae adiungendum. — Eius consilii utilitatem opportunitatemque magnopere commendat; vota adiicit ut tam egregium inceptum ad optatum exitum, Deo bene iuvante, perducatur . . . . . » 198

Epistola « *Quum praecipuas* » die 3 Augusti ad Episcopum Sedunensem. — Ipsius ceterorumque Helvetiae Episcoporum curis maiorem in modum commendat studiorum Universitatem catholicam Friburgensem, nominatimque earum disciplinarum

incrementum, quae in cognitione versantur rerum divinarum, quibus prae ceteris favere decet sacrorum Antistites . Pag. 200

Epistola « *Nobile propositum* » die 6 Augusti ad Episcopum Patavinum. — Pergratum sibi fuisse scribit nuncium de solemni conventu ab Unione catholica socialibus disciplinis in Italia excolendis, Genuae proxime habendo. — Valde confidit uberem ex eo perceptum iri publicae utilitatis et salutis fructum. » 202

Epistola « *Saepenumero* » die 13 Augusti ad Ioannem Baptistam Paganuzzi, Praesidem Comitatus permanentis Conventuum et Comitatuum catholicorum in Italia. — Ex eius litteris se libenter intellexisse significat, decimum conventum indictum esse septembri proximo habendum. — Praenunciata iisdem litteris rerum capita, de quibus in ipso conventu agendum erit, breviter attingit. — Futurum confidit, ut argumentorum gravitati diligentia ac studia respondeant eorum qui comitiis aderunt. » 205

Decretum Consistoriale « *Cum R. P. Leopoldus Zelli* » die 14 Augusti; de dimissione Abbatialis Territorii Fontis Vivi eiusque unione Dioecesi Parmensi . . . . . » 207

Decretum « *Ex quo* » die 15 Augusti; de translatione Festi S. Ioseph, ob Dominicae Passionis vel Hebdomadae Maioris occursum. . . . . » 211

Epistola « *Quum ea ratio* » die 16 Augusti ad Abbatem de Westmalle, Moderatorem generalem Monachorum Trappensium in Belgio. Vehementer optat ut in regiones Congi ex belgica provincia Monachorum Trappensium colonia deducatur . . » 213

Epistola « *Quum in notitiam* » die 29 Augusti ad Ioachimum Iosephum Berthier, facultatis theologicae Decanum in Universitate catholica Friburgensi. — Ipsi eiusque collegis magnopere gratulatur de instituto, in eodem Athenaeo, Collegio Theologico. . . . . » 215

Epistola « *Agnovimus libenter* » die 2 Septembris ad Iosephum Bourigaud, Abbatem S. Martini de Ligugé; quem merita prosequitur laude ob susceptum opus de historia rerum ab Ordine Sancti Benedicti in Galliis gestarum . . . . . Pag. 217

Epistola « *Quae Nobis* » die 6 Septembris ad Episcopum Moguntinum. — Valde laetatur de iis quae in frequenti catholicorum conventu, Moguntiae nuper habito, peracta sunt. — Vehementer cupit, ut benevolae grataeque voluntatis suae sensus omnibus qui conventui adfuere, ipso interprete, innotescant . » 219

Litterae Encyclicae « *Magnae Dei Matris* » die 8 Septembris; de Rosario Mariali. — Suam a teneris annis erga Ss. Virginem pietatem eiusque beneficia suaviter recolit. — Occasionem inde capit incitandi rursus christiani populi ad Rosarii precem, praesertim octobri mense adventante. — Id opportunum, ingravescentibus publice malis, ad Deum placandum, ad gentium sanationem. — Multiplex Rosarii commendatio; in quo apte coniuncta habentur eximia precationis formula, idoneum fidei praesidium, insigne specimen virtutis, per mysteria ad contemplandum proposita. — Iste igitur pietatis modus sit frequens christianis, iis praecipue qui *Consociationi Sacrae Familiae* dederint nomen. — Concessa superioribus annis sacrae indulgentiae munera octobrem mensem rite celebrantibus rata firmaque declarat. — Cohortationem ad exitum ducit unde exorsus est, commemoratis Mariae beneficiis, et fiducia in posterum per ipsam confirmata. — Nonnulla attingit de speratis iamiam sollemnibus quinquagenariis episcopalis consecrationis suae, quae ad Ecclesiae decus et fidelium utilitates proficere exoptat. — Eisdem fidelibus cum paterna ex divinis eloquiis commonitione fausta omnia in faustitate sua precatur . . . . . » 221

Epistola « *Plenas officii* » die 10 Septembris ad Archiepiscopum Taurinensem, aliosque Archiepiscopos et Episcopos Fossanum congressos ad saecularia solemnia institutionis Fossanensis dioe-

cesis. — Observantissimas litteras, ab ipsis coniunctim datas, valde acceptas sibi fuisse testatur . . . . . Pag. 237

Epistola « *Hierosolymae* » die 17 Septembris ad Iosephum Mariam Lagrange Sodalem Dominicanum. — Opportunitatem utilitatemque commendat Scholae studiis biblicis colendis, Hierosolymae in coenobio Stephaniano Ordinis Praedicatorum institutae, itemque consilium probat edendi certis temporibus commentaria, « *Revue Biblique* » inscripta . . . . . » 239

Epistola « *Quae nuper* » die 20 Septembris ad Andream Frühwirth, summum Magistrum Ordinis Praedicatorum. — Sese iucundissime affectum fuisse declarat amoris atque obsequii officiis ab ipso atque ab universis sodalibus Ordinis Dominicani exhibitis, ob recentes Litteras Encyclicas de Rosario Mariali . . . . . » 242

Litterae Apostolicae « *Venerabilis Frater* » die 27 Septembris; de honoris insignibus, Canonicis Ecclesiae Cathedralis Foroliviensis collatis . . . . . » 244

Epistola « *Accepimus* » die 29 Septembris ad Vicarium Capitularem, Canonicos, Parochos aliosque sacerdotes Patriarchalis Ecclesiae Venetiarum. — Valde acceptas sibi fuisse significat obsequentissimas litteras, quas ipsi, sacri recessus occasionem nacti, coniunctim dederunt. — Vehementer conqueritur de illata in ea civitate Apostolicae Sedi iniuria, monumento dedicato memoriae hominis, qui religiosae disciplinae immemor et supremae in Ecclesia auctoritatis seditiosus oppugnator et contumax extitit. — Maiorem in modum ipsos hortatur ut ad communem salutem vigilent, strenueque, Ecclesiae causâ, elaborent . . . . . » 246

Litterae Apostolicae « *Romanorum* » die 1 Octobris; quibus Apuanae Dioecesis Parochis certa dignitatis insignia conceduntur . . . . . » 249

Epistola « *Ingenii fructus* » die 2 Octobris ad Episcopum Caesenatensem. — Perlibenti gratoque se animo accepisse testatur eius opus *de intellectu agenti et possibili*, nomini inscriptum et memoriae desideratissimi germani fratris Iosephi Cardinalis. PAG. 251

Epistola « *Suffragatione patrum* » die 12 Octobris ad Ludovicum Martin, Praepositum Societatis Iesu. — De eius electione magnopere gratulatur, eique et universae Societati uberem caelestium munerum copiam a Deo exoptat . . . . . » 253

Epistola « *Quum dilectus filius* » die 18 Octobris ad Archiepiscopum Bracarensem. — Valde gratulatur de curis ab ipso susceptis ad provehenda apud Lusitanos doctrinarum philosophicarum S. Thomae Aquinatis studia . . . . . » 255

Epistola « *Nos equidem* » die 20 Octobris ad Archiepiscopum tit. Apamensem. — Obsequentissimas eius litteras adiectumque volumen sese libentissime accepisse rescribit. . . . . » 257

Epistola « *A l'approche* » die 21 Octobris ad Georgium I Graeciae Regem. — Ipsi serenissimaeque Reginae ex animo gratulatur ob natalem vicesimum quintum ipsorum connubii. » 259

Epistola « *Tuae in Nos* » die 21 Octobris ad Alphonsum Kannengieser, presbyterum. — Oblatos ab ipso libros « *Catholiques Allemands* » et « *Le Réveil d'un peuple* » libenti gratoque se animo accepisse testatur, eosque valde commendat. . . » 261

Epistola « *Egregiae erga Nos* » die 22 Octobris ad Episcopum Pictaviensem; cuius litteras, amoris et officii plenas, pergratas sibi accidisse significat . . . . . » 263

Epistola « *Pluribus* » die 22 Octobris ad Episcopum Papiensem. — Se magnopere delectatum fuisse significat officiosis litteris ab ipso datis una cum aliis Episcopis, qui Papiam convenere ob saecularia solemnia in honorem Beati Alexandri Sauli . » 265

Epistola « *Expectationem* » die 31 Octobris ad Episcopum Aurelianensem. — Valde commendat quae ab ipso acta sunt ut clerus Aurelianensis agendi rationem suam ad normam exigat documentorum, quae proximo tempore ab Apostolica Sede tradita sunt, quaeque eo potissimum spectant ut duo mala teterrima a Galliis avertantur, nimirum religionis iactura et prolapsio morum. — Vehementer dolet interposita varii generis impedimenta, ne consilia amanter inita et curae ad salutem tuendam Gallicae gentis collatae optatos pariant effectus. — Modis omnibus curandum, ne Gallorum fidelium vires animique deficiant. — Causas recenset, ex quibus recreari par est moerentes animos confirmarique ut strenue perstent in bonis inceptis . . . . . Pag. 267

Epistola « *Quae perscripta* » die 2 Novembris ad Equitem Antonium d'Abbadie, Praesidem Academiae scientiarum Parisiensis. — Pergrata sibi accidisse significat quae ex litteris accepit, ab ipso aliisque collegis suis datis, de sedulitate Cliniacensium Sodalium ex Ord. S. Benedicti in physicis et mathematicis scientiis excolendis. — Haud dubitat quin ipsi religiosis iisdem sodalibus benigne favere pergant . . . » 271

Epistola « *Agnovimus libenter* » die 3 Novembris ad Episcopum Patavinum. — Magnopere laetatur de prospero successu conventus, quem Genuae, superiori mense, egerunt complures catholici viri socialium disciplinarum studiosi. — Valde commendat consilium initum commentarii periodici in vulgus edendi, qui de scientiis socialibus agens praeco sit ac vindex sanae doctrinae . . . . . » 273

Decretum « *Auctis admodum* » S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 4 Novembris; de alumnis Institutorum religiosorum . . . . . » 275

Epistola « *Pastoralis prudentiae* » die 15 Novembris ad Augustinum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Bausa, Archiepisco-

pum Florentinum. — Se libenter accepisse testatur exemplar orationis ab eo habitae ad alumnos Ecclesiae Florentinae. — Ea valde commendat quae ipse in eadem oratione complexus est de sana optimaque adolescentis cleri institutione . . . . . PAG. 280

Litterae Apostolicae « *Romani Pontifices* » die 15 Novembris; de canonica institutione Facultatis Theologicae in Archiepiscopali Seminario Mediolanensi . . . . . » 283

Epistola « *Volenti laetoque animo* » die 17 Novembris ad Episcopum Angrensem. — Valde sibi acceptas fuisse significat communes litteras amoris et obsequii plenas, a Canonicis ceterisque e clero dioecesis Angrensis datas, quum primum ad religiosum conventum ab ipso episcopo indictum congressi sunt . . . . . » 287

Epistola « *Optimo sane consilio* » die 18 Novembris ad Benedictum Mariam S. R. E. Presbyterum Cardinalem Langénieux, Archiepiscopum Rhemensem; cui facultatem facit ut nomine et honore Delegati Summi Pontificis conventui Eucharistico praesit, in civitate Hierusalem proxime habendo. — Minime dubitat, quin hoc munus studiose suscepturus sit et obiturus feliciter. . . . . » 289

Decretum « *La S. Congregazione sopra la Disciplina Regolare* » die 27 Novembris; quo de Alumnis Sodalitatum religiosarum, civili militiae obnoxiis, nonnulla praescribuntur . » 291

Epistola « *Quamquam Nobis* » die 30 Novembris ad Episcopum Hispalensem. — Magnum sese cepisse solatium scribit ex iis, quae in tertio catholicorum ex Hispania conventu, Hispali nuper habito, peracta sunt . . . . . » 295

Litterae Apostolicae « *Romani Pontifices* » die 3 Decembris; quibus Dioecesis Clavarensis erigitur . . . . . » 297

Litterae Apostolicae « *Vitae innocentia* » die 6 Decembris; quibus Venerabili Dei Servo Gerardo Maiella Beatorum caelitum honores decernuntur . . . . . PAG. 314

Epistola « *Eximia pietas* » die 7 Decembris ad Episcopum Tit. Lyddensem, Vicarium Capitularem Archidioecesis Cameracensis. — Peracceptas sibi fuisse testatur obsequentissimas litteras, ipso praeeunte, ab iis datas, qui annuum conventum generalem vicesimum Insulis celebrarunt. — Vehementer optat, ut omnes ex Gallia catholici homines idem cum ipsis sentiant ac sapiant, et paterna sua expleant vota, quae non minus ad religionis tutelam, quam ad Galliae ipsius prosperitatem gloriamque pertinent . . . . . » 323

Epistola « *Inimica vis* » die 8 Decembris ad Episcopos Italiae. — Eorum sollertiam providentiamque excitare insistit adversus Sectam Massonum, perniciosius in dies praepotentem. — Ingravescentia ab illa pericula vulgo non satis cognita ad praecavendum. — Ad sectam ipsam non pauci utilitatum etiam spe vel ambitione allecti, vel timiditate irretiti et imprudentia. — Alia aliis afferenda remedia. — Hortandi omnes et sustinendi in pugna, sumptis armis a fide divina. — Gravitate rei perspecta, Italos communiter ipse alloqui decrevit per litteras, quas eisdem episcopis mittit late propagandas explanandasque, si oporteat, in communem salutem . . . . . » 325

Epistola « *Custodi di quella fede* » die 8 Decembris ad Italos. — Crebrius pro apostolico munere vocem tollens ad fidei tutelam, Italos potissime appellat, quibus dolendum in primis de bello in religionem commoto. — Hoc maxime a Massonum secta exardescit, cuius proposita et artes aliis litteris patefacta. — In praesens damna praecipua ab illa in Italos derivata perpendit; gravia in fide, religione, cultu, libertate Ecclesiae; gravissima in re publica et privata, infinitâ propemodum licentia, pessimis corruptelis. — Apertum, eam sectam esse Dei et Ecclesiae et patriae inimicam; necesse, qui nomen ipsi dede-

rint, factum eiurent, ab ipsa omnes abhorreant, insidiantem studiose devitent. — Evigilandum parentibus, quosnam domi in consuetudinem admittant; societates multiplices, in quibus praesertim religio silere iussa, metuendas; in eas feminae, nisi cautissime, ne cooptentur; cuiusvis religionis formam aeque probantium suspecta sit familiaritas; ad libros, diaria, circulos maximopere circumspiciendum. — Cavisse tamen non satis: actione opus adversus sectam quae in omnia invasit; modis omnibus, quos recenset nonnullos, ruinas eius sarciant catholici. — Ista in nequitiam dimicatio coniunctis agatur animis viribusque, Ecclesiae ductu et auspiciis; causa est religionis item et patriae. — Hisce in propositis itali iidem et catholici perstent alacres, invicti. — Nihil timendum, propitio Deo. . . . . Pag. 331

Litterae Apostolicae « *Qua ex singulari* » die 9 Decembris; quibus Feria quarta penultimae anni ecclesiastici hebdomadae in diem festum pro Borussiae dioecesibus evehitur. . . . . » 344

Epistola « *Quae Nobis* » die 9 Decembris ad Iosephum Benedictum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Dusmet, Archiepiscopum Cataniensem. — Se vehementer probasse scribit consilium novi extruendi in Urbe aedificii, in quo Collegium S. Anselmi suas habeat sedes. — Optimum vero factu ducit si occasione benedictionis primi lapidis aedis eiusdem, Abbatum omnium Benedictinorum Romae conventus agatur . . . . . » 349

Litterae Apostolicae « *Qui Ecclesiae* » die 19 Decembris: quibus Venerabili Dei Famulo Francisco Xaverio Mariae Bianchi Beatorum caelitum honores decernuntur . . . . . » 351

Epistola « *Praecipuis* » die 22 Decembris ad Archiepiscopum Coloniensem. — Amoris et obsequii significationes, quas ab ipso ceterisque Borussiae Episcopis nuper accepit, appetente natali quinquagesimo episcopatus sui, pergratas sibi accidisse testatur. — Laudibus prosequitur eorum sedulitatem in epi-

scopalibus muneribus obeundis, eaque commemorat quae in maxima temporum difficultate ab ipsis gesta sunt. . Pag. 360

Epistola « *Sane placuit* » die 27 Decembris ad Raphaelem Ferraris. — Opus ab ipso edendum susceptum « *Acta Ecclesiae Mediolanensis* » magnopere commendat. . . . . » 362

Epistola « *De vestra in Nos* » die 29 Decembris ad Archidiaconum vice sacra Antistitem et Canonicos Ecclesiae Viterbiensis. — Amantissimis litteris, ob annum quinquagesimum episcopatus Sui, ab ipsis nuper datis, singulari quodam nomine sese delectatum fuisse significat. — Iucundae enim grataeque memoriae sibi esse ait cum civitate Viterbiensi vincula. — Consilium apud se maturasse addit prospiciendi viduae ecclesiae, iamque virum designasse pastorali exemplo et prudentia egregium . . . . . » 364

Litterae Apostolicae « *Gravissime Nos* » die 30 Decembris; quibus Constitutiones Societatis Iesu de doctrina S. Thomae Aquinatis profitenda confirmantur . . . . . » 366

APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE PP. XIII

PRO OPPORTVNITATE HABITI SERMONES

ANNO MDCCCXCII

Die 1 Martii, ad S. R. E. Cardinales, redeunte Coronationis die . . . . . Pag. 383

Die 25 Martii, ad eos qui promulgationi aderant decretorum de miraculis a Deo patratis, intercessione Venn: Francisci Xaverii Bianchi, Antonii Baldinucci et Gerardi Maiella , . » 386

Die 23 Decembris, ad S. R. E. Cardinales, redeuntibus Dominicae Nativitatis sollemnibus . . . . . » 388

262.13
L 55-XIII
16156
LEO XIII

AUTHOR
Leonis XIII P.M. Acta XII

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	John Geary Curran	
	Archdeacon CP	
	STORAGE - CBP	

16156